VITT. EMANUELE

78 2
d
17

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 C
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
16
C
23

Iacobi Scheg-
kij Schorndorffenſis de cauſa cōtinēte Medicorū liber, quo docet, eam eſſe in morbis: refellens opinionem ſcriptoris cuiuſdā Anonymi, qui eam prorſus in morbis nullam eſſe contendit.

Ex Legato D. Laurentij de Rubeis
Bib. [illegible] Coll: Rom. Soc. Jesu

Cum rerum & uerborum memorabilium indice.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BASILEÆ, APVD
Iacobum Parcum.

IACOBVS Schegkius Schorndorffenſis,

Studioſo & pio Lectori S. P.

AEquum eſt, optime Lector, & honeſtũ, ut laboranti & oppreſſę ueritati quiſque pro ſua uirili ſuccurrat, & opituletur: non tam, quia ſit omnib. alijs rebus præferenda ueritas, quàm ut falſitatis fucus detegatur, ne penes eam ſit autoritas, quæ plurimum ualet ad fallendos imperitiores. Ego uerò, qui multum delector philoſophiæ ſtudijs, fruſtra ſanè in ijs me elaboraſſe exiſtimarem: ſiquidem uel ad intelligenda obſcura & difficilia ueterum ſcripta, uel ad controuerſias diſceptandas, nihil pręſidij uel ad-

iumenti adferrent. Accedit eôdem, quòd nonnullos uideã, quos præſertim conueniebat diligenter philoſophari, tam inhumanos & agreſtes, ut palmarium quoddam ſe conſecutos putent, ſi publicè & priuatim detrahant philoſophiæ ſtudio, ſine quo reliqua manca & inutilia eſſe uidemus. In cauſa fortaſsis eſt, quia ueram illam & ſolidam non didicerunt, quum nemo poſsit id quod facilè præſtantiſsimum eſſe intelligit, non etiã maximè admirari & colere. Quid autẽ facias huic homini, qui non neceſſariam philoſophiam medico, aut etiam inutilem eſſe dicat? Profectò tali, haud ſcio, inſcitia'ne magis an impudẽtia ſit exprobranda. Quid enim impudentius, quàm uitupera re, quàm cõtemnere, quod omnes docti, omnibus ſeculis, maximo ſemper ſtudio coluerũt, ſummisq́ laudibus extulerũt, & homini quidem

dem à deo immortali nihil melius aut præſtantius datum atq; donatum uno ore dixerunt? Neq; uerò ulli diſciplinæ obeſt philoſophia, quũ hęc ipſa nihil aliud ſit, quàm cu iuſq; rei uim & naturam accuratè diligenterq; contemplari. Ipſa uerò princeps philoſophia fõtes omnes ueri aperit, ut nihil ſit de quo ratione & uia diſputetur, cui ſe cognitio hæc non admiſceat. Ac ne ſacra quidem Theologia, quæ ſupra captum eſt humanum, ſi non præeuntem, ſaltem pediſſequam non recuſat philoſophiam. Exceptis enim nonnullis, quæ fide religioſa, & non demonſtratione apprehendimus: nihil ferè eſt, in quo non plurimùm cognitio philoſophica proſit magis, quàm uel grãmatica, uel hiſtorica. Si contẽplandus & cognoſcendus nobis Deus ex admirabilitate operum ſuorũ, certè de his nulla tractat uberius, *In Politicis.*

nulla eſt quæ magis hæc ponat ob oculos, quàm phyſica. Si quæ ab homine cognoſci poſſunt de Deo, & rebus diuinis, quàm multa præclarè & conſentaneè dicuntur religioni noſtrę ſacrę à Platone et Ariſtotele, ſummis philoſophis? Quorum alter trinam quoq; diuinitatem, ut alter neceſſariam Dei unitatem, grauiſſimis quaſi demonſtrãt argumentis. Homo autem quid & quantũ præſtare uiribus & uirtute ſua poſſit, quis melius uidet Ethico philoſopho? quæ cognitio omnino neceſſaria ſit Theologo, cùm de iuſtitia hominis, qua corã Deo ſit ſiſtendus iudice, diſputatur. An deformitatem naturę corruptæ hominis non eleganter & ſcitè Plato expreſſit, in libro quodã de Repub. in quo hominis imaginem genuinã ſic uitijs corruptã ſcribit, ut uix priſtina ipſius ſpecies agnoſcatur: comparans hominem Glauco

Glauco in mari ſubmerſo, qui conchis, arena, alga, ſic totus fuerit refertus & deformatus, ut proiectus in littore uix agnoſci potuerit à familiariſſimis? Sed ut reliquis omiſſis, de Logica philoſophia dicam, quæ ad omnes diſciplinas minimè fallax inſtrumentum cognoſcendi iudicandiq; ueri adhibetur, ut ſi eius præcepta uera non ſint & adamantina, ne ſacrorum quidem conſtans interpretatio cõtra hęreticos locũ habere poſſit. Nec eſt quòd hoc loco mihi quiſpiã abuſum obiiciat. Quis enim non optimis etiã rebus poteſt abuti? ut ſi abuſus faciat rem contemnendam, ne ſacrę quidem literæ quemadmodũ non ab abuſu, ita nec à contemptu uindicari poſſint. Faceſſat ergo ridicula iſtius hominis opinio, qui ex Medicorum & Theologorũ ſcholis profligandam philoſophiam nimis inuerecundè ſcribit: & ſuæ te-

meritatis quaſi teſtem D.Paulum adducit, qui tamen philoſophiam nuſquam dicit inanem: ſed præcipit ſuis,ne patiantur ſe ſeduci inani philoſophia:ut ſi quis me moneat,ne inani medicinæ dem operã,is ob idipſum non prohibeat,ne medicinæ incumbam. De his admonere pios lectores uolui, propter ſcriptorem quendam Libelli de Cauſa continente,contra quem in præſentia ſcripſi:qui ut propoſitum ſuum tueri rationibus philoſophicis, ideſt, ueris & conſentaneis nequit, paſſim tanquam inanem & inutilem damnat philoſophiam:quod ſanè non faceret,ſi diligentem ei aliquando operam nauaſſet. De cætero autem, omnino redarguẽdus is mihi philoſophicè fuit:quoniam argumenta ipſius, tanquam arena(ut dicitur)ſine calce,nulla ratione philoſophica cohærent:ut uel inde appareat, quan

tus

ſtus philoſophiæ ſit uſus explicandis tractandiſq; difficilibus & perplexis quæſtionibus, quam ipſe tamen exterminandam è ſcholis medicorum opinatur. Sed de homine illo dictum ſatis: nunc ipſam de Cauſa continente diſputationem aggrediar, quam ego nulla ipſius cōtumelia exequar: quãquam ipſe me ſubinde inceſſit, & aliâs Sophiſtam, aliâs φίλαυτον, aliâs aliud quid eſſe dicit: cui facilè ignoſco, quia aliter facere non poteſt. Non enim ut pilos, ita mores quoq; mutare poteſt uulpes. Valete,

CONFVTATIO SCRIPTORIS ANONYMI CVIVSDAM, QVI CAVſam in morbis continentem, ſeu coniunctam, nullam eſſe, nuper edito quodam libello, conatus eſt oſtendere.

TAmetſi pro aſſerēda cauſa continente in morbis, nihil reliqui feciſſe mihi uidear, eo in libro quem ante aliquot annos de cōtrouerſia hac edidi, & ſatis litigatum hactenus de re admodum magni momenti in arte medica putauerim: nihilominus Ariſtarchi *cuiuſdam cenſura iniquiſsima me mouit atq; impulit, ut denuò cauſam illam ſuſciperem: non tam ut eam cōtra aduerſarium pertinacem defenderem, quàm ut cùm ipſi, tum alijs oſtenderem, quàm facilè & quàm turpiter abſq; cognitione* Philoſophiæ *contingat homines in obſcurarum & difficilium quæſtionum tractatione hallucinari.* Pergratum *ſanè mihi eſſet, ſi coram eruditis & intelligentibus philoſophiæ, hanc mihi cauſam agere liceret.* Nam *& breuius eam explicarem: minoreq; negotio*

me recte

me rectè ſentire, & illum falli opinione ſua, argumentis oſtenderem. Sed cùm id facere haud liceat, & quibuſuis tum cognitoribus, tum iudicibus ſit ſatisfaciendum, altius nimirum quædam erunt repetenda: & non tam, quí nam error in aduerſarij opinione uerſetur, demonſtrãdum, quàm ueritas huius diſputationis, ſuis quibuſdam rationibus tractanda mihi, & explicanda erit. Primùm igitur, quid mihi (ut opinor) rectè, deinde quid aduerſario perperã & falſò uideatur, declarare inſtitui, non longis uerborum ambagibus totam rem complexurus.

In libello de Cauſa continente, fontes huius diſputationis ſatis aperuiſſe, & quomodo uſurpata eius ratio à Medicis Stoicorum æmulis fuerit, opinor me docuiſſe planiſsimè: quæ ſanè nunc in præſentia omittam, & duntaxat quæram, utrum rectè cauſa hæc ab Arabibus ſit adhibita numero cauſarum à Galeno conſtituto, qui duas dũtaxat cauſas eſſe dicat, Incipientem ſcilicet, & Antecedẽtem: an uerò peccatum ab illis ſit huius tertiæ cauſæ adiectione. Aut ſi reprehendendi illi non ſint, in Galeno'ne culpa hæreat, ut qui hanc omittens, nempe Coniunctam, duas tantùm morbificas cauſas poſuerit. Quæſtio præſentis diſputationis.

Galenus uocabulo Cauſæ, ſic utitur, ut ſignificet quippiã, quod ſit efficax generationis gratia ad Prima hypotheſis.

tia ad

tia ad conſtituendum effectum, qui nimirū effectus ſit poſterius quiddam tempore, & γινόσει cauſa hac, qua fieri & naſci dicitur. Ita ſanè uulgò cauſam efficacia ſua priorē eſſe dicimus effectu. Præterea, Cauſam & Efficiēs, pro eodem uſurpari plerunq; & uulgò liquet. Quod ipſum Plato quoq; in Philebo oſtendit, ſic ſcribens: ἡ τοῦ ποιοῦντος φύσις οὐδὲν πλὴν ὀνόματι τῆς αἰτίας διαφέρει. Qua ſignificatione uocula Cauſæ uſus etiam Galenus, cauſas eas quibus fierent non exiſtētes morbi, dixit geminas: nempe unā extrinſecus occurrentē & efficientem, alteram uerò intrinſecus in corpore excitātem affectus morbidos. Harum quidē neutra ſine motu conſtituit effectum: qua nimirum ratione per ſe cauſæ illæ dicuntur eſſe rerum, non quatenus SVNT res illæ, ſed quatenus FIVNT. Quando enim factæ fuerint res, ſiue effectus ſunt cōſtituti, tum deſinunt motus. Quòd ſi perdurant etiam motiones, aut illæ conſeruare effectum, uel augere dicuntur, non autem ſimpliciter efficere. Verum enim eſt quod noſter Ariſtoteles dicit (quem profligandū tamen è ſchola cenſet aduerſarius) præſentibus habitibus deſinere motus. Cæterùm cauſæ quæ tantiſper durant, donec effectus cōſtituitur, ſunt duæ: Efficiens ſcilicet, unde principium motionis arceſſit; &

Secunda hypotheſis.

Cauſa & efficiens, pro eodem plerunq; uſurpantur.

Quomodo præincipiens & antecedēs, per ſe cauſæ dicantur.

ceßit: & Finis, gratia cuius mouetur quidpiam.

Quinetiam obſeruandum illud eſt, Cauſam, actu, cum eo quod ſit actu, ſimul eſſe, & ſimul deſinere. Quando autem facultatis & δυνάμεως gratia conferuntur Agens & Patiens, tum non neceſſe eſt ſimul ambo eſſe, ſed faciēs poteſt eſſe abſq; eo quod fit: nec ſimul deſinunt etiam, ut eo qui poteſt ædificare perempto, ſimul aboleri ædificium non eſt neceſſe. Nec ſi patiens materia ſit abolita, propterea fabri quoq; facultatem ædificandi e medio tolli oportet. Verū tamen non in omnibus idem uſu uenit. Nam in quibuſdam patientis facultate ſublata, perimitur quoq; agentis potētia, ut in corporibus accidit animalis. In his, ſi facultas (gratia cuius mobile corpus eſt animatū) priuatione perimitur, etiam animæ uim motricē talis partis, non cauſa ſubſtantiæ quidē, ſed actionis gratia perimi ſimul cōtingit. Sed potentiæ illius habitu, id eſt ſanitate abolita, non ſimul etiā perire poten tiā & uim animæ motricis eſt neceſſe. Tertia hypotheſis. Ariſto. libr. 2. phyſ.

Cōſiderandū etiam illud eſt, In cauſa qua fiat aliquid, & generetur, energiæ rationem eſſe duplicem. Vnam, Perfectionis: quæ nimirum Actio appellatur, eaq; partibus eſt indiuidua: cùm quicquid ſit Actio, id totum & ſeipſo perfectum eſſe dicatur. ut ipſum calefacere in igne, non minus Quarta hypotheſis.

initiò,

initiò quàm poſtremò, perfecta energeia eſt: quo in genere ſunt etiam energeiæ ſenſionum. Alteram energeiã conſtat habere rationem imperfectionis, quæ nimirũ ineſt patienti, & motionis ſeu paßionis habet appellationem, partibusq́; dißimilibus diuidua eſt. Quoniã ſubitò nihil fit, ſed per gradus quoſdã ab agente promouetur patiẽs ad extremi effectus ſpeciem, ut nimirũ motionis continuatio poßit innumeris partitionibus, ſecundum FACTA *eſſe, diſtribui: quorũ quoduis* FACTVM, *ſeu Mutatum, non ſit cõiunctum cum proximè ſequẽte alio Mutato: nec ſi prius ſit, ex neceßitate poſterius ſubſequitur, ſed contingit ſubſequi. Inter prius enim & poſterius* FACTVM *quum motio interueniat, unũ cum altero nequit continuari: quemadmodũ inter quælibet duo puncta aliud poteſt interponi punctum, nec punctũ ullum alij proximũ eſt puncto, cùm inter quælibet duo linea interueniat. Quod ipſum ut plenius & commodius intelligatur, exemplo quodã explanabo. Aqua ferueſ, effectus quidã eſt. Is motu alterationis qui ab igne excitatur, gradibus uariè diſtributo ſecũdũ* FACTA, *uel Alterata eſſe, prouenit. Quibus gradibus ſemper ex minore calore ſeu remißiore fit trãſitio in magis intenſum, eisq́; quaſi cauſis & medijs ad per-*

ad perfectũ peruenitur calorẽ: ut interim nihil FACTVM *ſeu* γεγονός, *proxima ſit & prima cauſa* FACTI, *ſeu effectus poſtremi. Quoniam omne poſterius* FACTVM, *tempore diſtinguitur à quouis cõſignato priore & præcedente* FACTO. *Quantumuis enim propinquum uideatur, non tamen erit proximum: nec ſimul unquam erunt ambo, ſed poſterius reſpectu prioris, ut futurum à præterito, diſtinguitur. Proinde genus illud Cauſarũ, quo non exiſtens quidpiam generatur, non eſſe neceſſarium & fatale (ut ſic loquar) partim ex eo perſpicitur, quòd impediri poſſunt: ut nimirum exiſtente cauſa, neceſſe non ſit ſubſequi effectũ. Siquidem (ut phyſici dicunt) neceſſe non eſt* Ariſto. lib. 2. φυσικῶν. *poſterius eſſe, ſi prius fuerit: ut ſi lapides ſint, & ligna, contingit domum, non autem neceſſe eſt ædificari. Partim, quia in his fiẽtibus rebus, ſi cauſæ omnes per ſe eſſent & neceſſariæ: tum ſanè nihil non eſſet quod non fieret ex neceßitate: quod tamẽ ipſum falſum eſſe, cõtingens rerum effectus & euentus declarat. Quinetiam ſi cauſæ omnes ſunt neceſſariæ: fore tum ut accidẽtis natura perimatur: Ariſtoteles autor eſt lib. 5. primæ philoſophiæ. Stoici antecedentes cauſas ita ex ſeſe mutuo nexas, & inter ſe conſertas atq; cõtextas dicũt: ut prior poſterioris ex ne-*

ceßitate

ceſsitate ſit efficiens: nec aliquem euentum eſſe opinantur, qui ſecundum accidens cauſis generetur, ſed omnia neceſſarijs & ineuitabilibus cauſis dicunt euenire. Hanc neceſsitatem uerò gignentibus cauſis nos haudquaquam adſcribimus, aliud enim præter has genus eſt cauſæ, nō cum generatione & motu rerum naſcentium: ſed cum eſſentia coniunctum, quod ob idipſum Ariſtoteles ὁμόγονον, Galenus συνεκτικὸν uel προεχὲς, inter Latinos Cicero in libello de Fato, efficienter antecedentem nominat. Ergo quæ pars eſſentiæ non erit: aut ὁμόγονος cauſa, eadem etiam per ſe non erit cauſa eſſentiæ: ſed generationis duntaxat eſſentiæ per ſe cauſa erit, ipſius autē eſſentiæ ſeu effectus cauſa erit ſecundum accidens. Ex quo par eſt intelligi, Antecedentes cauſas non eſſe neceſſarias, nec per ſe cū effectu coniunctas, quo nimirum differunt ipſo inter ſe coniuncta: ſeu ὁμόγονος: & antecedens, ut modò dictum fuit, quam differentiam Cicero in libello de Fato declarauit his uerbis. Cauſa autē ea eſt, quæ id efficit: cuius eſt cauſa, ut uulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaq; nō ſic cauſa intelligi debet, ut quod cuiq; antecedat: id ei cauſa ſit, ſed quod cuiq; efficienter antecedat. Hactenus Cicero. Ex quo perſpicuū eſt, aliud cauſam eſſe antecedētem, & aliud efficienter

Quinta hypotheſis.

Quid ſit coniuncti, ſeu cōtinens cauſa.

Efficienter antecedēs eſt συνεκτικὸν αἴτιον.

ficienter antecedentem, illam ab effectu ſeparatam eſſe, hanc uerò cum eodem coniunctam: illam eſſe quæ rem factura ſit, hanc uerò quæ rem iamiam efficiat & cōſtituat, ſitq́; pars definitionis effectus, & per eam quoq; demōſtretur. Sed antecedens cauſa ſi ſit, non eſt neceſſe effectum eſſe, ſed contingit, nec cauſa tali demonſtrari quicquam poteſt, ut paulò antè oſtendimus. Quinetiam Ariſtoteles lib. 12. Metaphy. cauſas eas quibus mouentibus fiat aliquid, non ſimul cum effectu iunctas ait, ſed tempore eſſe priores: ad hunc ſcribens modum, τὰ μὲν κινοῦντα αἴτια ὡς προγεγενημένα ὄντα, τὰ δ᾽ ὡς ὁ λόγος, ἅμα. Hoc eſt, Mouentes cauſæ eſſentia priores ſunt effectu. Sed quæ ſunt ut forma rei, ſimul ſunt cum effectu. In Analyticis autem poſterioribus, ἐνυπάρχοντα hæc αἴτια appellat, quibus demonſtrari & definiri rerum eſſentiæ debeat. Quis porrò tam ignarus Dialecticæ eſt, qui ſua cauſa coniuncta definiri apoplexian, paralyſin, epilepſin, melancholian, & ſimiles morbos: quibus ut ſint materia & humore quodā opus eſt, neſciat? Qui uerò cauſam & effectum pro eodem numeret, inuentus adhuc eſt, præter Anonymum hunc noſtrum aduerſarium, nemo: qui ut errorem ſuum defendat, incredibiles ponit hypotheſes, & cœlum terræ (quod dicitur)

Quæ ſint ἐνυπάρχοντα αἴτια.

Aduerſarius ad abſurdas

hypotheſes omnia reuocat.

confundit. Eſt autem is ex hoc genere hominũ qui per fas & nephas contumaciter ſuam theſin propugnant, qui (ut Ariſtoteles ait) ἀπαρ ὑπομένουσι ὡς ἀληθεῖς ἔχοντες ἀρχὰς, καὶ πάντα βούλονται πρός τινας δόξας ὡρισμένας ἀνάγειν. Conſtat ex his quæ diximus, cauſam hãc de qua diſputamus, eſſe (ut Galenus ſcribit) κυριωτάτην, eamq́; in primo libro de Cauſis pulſuum, conſiderandam in omnibus præcipit, quod ipſum quoq; repetit & admonet lib.3. Commen.20. in Commẽtarijs, in ſexto Epidemiorum. Quid multis opus eſt? Nuſquam non Galenus eius meminit cauſæ, ut qui teſtimonia deſideret, ignarus omnino ſcriptorum ipſius uideatur. Alia eſt Stoicorum continens cauſa, qui effectũ omnem ſubſiſtere arbitrantur, externa quaſi cõtinente & deuinciente partes compoſiti: cauſa, quæ pars eſſentiæ ipſa non ſit, ſed duntaxat partes illas præſentia ſua deuinciat. Hac contineri dicũt omnia: nec eſſe quicquam quod illius nexũ effugiat, componendis & conſtituendis omnibus efficacem, ipſamq́; indiſſolubilem per diſſolubiles rerũ & mutabiles eſſentias penetrantem. Cauſa hæc ſecundum Stoicos, uel Deus eſt, uel ignis artificioſus, uel neceſsitas, & Fatum, uel πρόνοια, hanc à re nulla abeſſe cenſent, quia ſit cathena: & quaſi uinculũ omnium rerum ca ducarum.

Ariſtoteles lib.3.de cœlo.

Quid continens cauſa ſit ſecundũ Stoicos.

De hac aliâs diximus copioſe in quodam libro de cauſa continente.

ducarum. Hãc οὐσίαν *copulatricẽ temerè & fruſtra fingi à Stoicis, in lib. de Cauſa cõtinente, planũ fecimus. Hãc negat uſpiã eſſe Galenus, neq; in natura alicubi, neq; in morbis cõſiſtere, quoniã in eſſentia morborũ non ſit aliquid, quod nõ ſit pars eſſentiæ morbi, quibus fruſtra adhibeatur uinculũ illud externæ cauſæ: quoniã ſuapte natura ex partibus, ratione potẽtiæ & actus, una totius & compoſiti eſſentia generetur: quemadmodum Ariſtoteles luculentè libro 5 Metaphyſ. docet. Stoicæ huic cauſæ ſimilis eſt Antecedens ea cauſa, quam ſua definitione expreßit Anonymus, quãdo dicit eam eſſe per ſe, & proximam atq; immediatam effectuum cauſam, inter quam & effectum nulla poßit intercedere alia. De hac finitione poſtea uidebimus, nunc interpretari & explicare noſtras hypotheſes uolumus. Admonẽdum etiam illud, ratione Antecedentium cauſarum fieri morbos, dupliciter dici. Vno modo, quando prius non exiſtentes, per Antecedentes inchoant fieri: Alio modo, ſi momentanei & leuiculi morbi, hac fieri ratione dicãtur, non qua omnino nunc non ſint, ſed qua permutentur propter motum in durabiles morbos, ut uidelicet reſpectu durabiliũ* FIERI *& generari adhuc morbi ab antecedente cauſa dicantur, ſed propter momentaneam & tenui-*

Actus & potentia faciunt unum ex materia et forma, non autẽ cauſa quædã extrinſecus continens.

Sexta hypotheſis.

Duplex ratio fientium morborum.

ter impreſſam affectionem dicatur eſſe quidem morbus, ſed ita ut ei nihilominus efficiente cauſa ſit opus, qua ſublata protinus euaneſcat, præſente uerò, adſit, moleſtiſſimis interdũ ſymptomatibus hominem crucians. Proinde FIENS *omnis morbus prima ſignificatione, itemq; ſecunda, ex neceſſitate: cauſæ* Antecedenti *adſcribetur reſpectu perfecti morbi, quæ tamen ipſa cauſa, ratione motus, quem affert corpori, non* Antecedens, *ſed* Coniuncta *ſit appellanda, ut liquet ex hypotheſi quadam ſuperius propoſita.* FACTVS *autem morbus: non niſi ex hypotheſi cauſam habet cõiunctam, reſpuẽs* Antecedentẽ: *cuius tamen antecedẽtis materiæ accidit interdum ut ſubijciatur propter morbũ rationi cauſæ cõiunctæ, qua per ſe, proxima, et* ἄμεσος *effectus cauſa exiſtit. Vt ergo* FIENS *omnis antecedentem habet, ita non omnis factus* Cõiunctam *habebit.* Ephemera *coniunctã nullam habet, ſed putrida habet. Vtriſque febribus ut generentur: opus eſt quadam efficiente uel extrinſecus, uel intrinſecus cauſa alterãte corpus. Sequitur hac in re* Galenum, *qui* κατασχέσιν *affectus, interdum* γιγνόμενα νοσήματα *appellat, aliquando* παθήματα, *ut in primo libro de locis affectis* ἄρα γε διάθεσις ἤδη μόνιμος ἢ γιγνομένη μέν ἐστι, τὸ δὲ μόνιμον ὅπω προσειληφυῖα.

Fiens morbus nectitur quidam & cauſa antecedente; uel procatarctica.

Antecedens, reſpectu motus, dicitur quoque coniuncta.

ἀτροφία. Quòd ſi quiſpiam contendat, παθήματα inter morbos non habenda (ſiquidẽ morbum interpretetur et definiat διάθεσιν μόνιμον) id ei quidem concedam libenter. At quòd omnino (nempe cauſa generis) non ſint appellandi morbi, ne Galenus quidem ipſe conceſſerit, quandoquidem παθήματα hæc grauiſsimis interdum Symptomatis infeſtent: quæ profectò ſine morbo tam eſſe nõ poſſunt, quàm propria non poſſunt eſſe ſine ſubiecto. Ex quo concludendum: Morbum quatenus ſit genus, ſub ſe ſpecies complecti: μόνιμον morbum, & πάθημα ſeu fientem, quoad is ſecũdo modo fiens ſuprà dicebatur. De morbi definitione propoſita à Galeno, & præterea de his quæ dubitationem hoc loco habent quandam, diſſeruimus in Commentarijs noſtris in librum ſextum Topicorum Ariſtot. cõmento loci 32. Qui uolet, inde requirat: cauſa breuitatis hæc in præſentia libet omittere. Præterea dicitur etiam FIENS morbus, non quatenus præſentia efficientis cauſæ ſpecies ipſius ſubſiſtit, ſed quoad augetur & ſtabilis fit, ab eo, quo cepit initio, differens magnitudine: autore Galeno in libro περὶ τῶν ἐν νόσοις καιρῶν. Hactenus quæ noſtra de cauſa continente in morbis ſit ſententia, planum fecimus, quam cauſam nos affirmamus eſ-

Morbus fiens quidam, continetur genere morbi.

Tertia ſignificatio mo fientis.

Quibus nam in morbis ſit cauſa coniuncta.

ſe in morbis nonnullis: quibus uidelicet adiunctum aliquid eſt, quod ipſum non primò impediat actionem, ſed propter πάθος quoddã contra naturã, quod πάθος ſua præſentia cauſa talis cõciliat corpori animato. Vt pituitoſus humor cerebro conciliat obſtructionem, qua ſenſus & motus priuatio (nempe ſymptoma) oboritur in corpore, quæ ſine humore illo nulla poſſet eſſe obſtructio. Reſtat ut Anonymi ſcriptoris, primùm hypotheſes, deinde inde deducta argumenta, quibus cauſam hãc Coniunctã profligare uult, quoad breuitas patitur, accuratè conſideremus. Pleraq; illius, quæ nihil ad rem faciunt, omittam: & item quibus in argumentis apparebit idem & ſimilis error uerſari, ea uno erroris & reprehẽſionis capite perſtringã, ne uidelicet idem mihi ſæpius ſit re[illegible] tendũ: quippe cùm plurima ſimus exec[illegible]ã eo in libro, qui à nobis de cauſa con[illegible]e eſt inſcriptus. Igitur quæ definitio ſit [illegible]mentis, item nota hæc & uulgaria de diff[illegible] ijs cauſarum, morborũ, ſymptomatum, non cõmemorabo: tametſi Anonymus ſeſe unum iſta omnia rectè intelligere opinatur, quo[illegible] tamen ipſum quã decenter ſibi arroget, deinceps uidebimus.

Declaratur falſitas hypotheſeon Anonymi.

Cauſas morborum de Galeni ſententia dicit eſſe duas Anonymus: quod & ipſi nos confitemur: eaſq;

mur, easq́; ſic definit, ut ſit morbifica cauſa, quæ quocunq; modo aliquid ad morbi conſtitutionem conferat, ſcopum ſui libelli his declarat uerbis:

Id in hac noſtra diſceptatione demonſtrabimus, ſi quis Galeni *de cauſis morbificis, ac ipſo morbo dogma ſequi uelit, eum morbi cauſam prorſus nullam ſtatuere poſſe.*

Rectè me Hercle Anonymus *ille, præter morbificas cauſas duas, ſecundum* Galeni *decreta, nullam præterea cauſam eſſe arbitratur.* Numerat enim dũtaxat Galenus αἴτια προκαταρχοντα & προηγούμενα in morbis, *nec addit* συνεκτικὸν αἴτιον. Rationem *ab initio expoſuimus.* Non enim *quatenus ſunt, ſed quatenus fiũt nondum exiſtentes morbos cõſiderat* Galenus. *Dupliciter* Anonymus *peccat in huius materiæ tractatione. Primùm quòd non oſtendit rationem propter quam* Galenus *non niſi duabus cauſis morbificis eſt contentus.* Deinde, *quòd tota tractatione hac, quam inſtituit, non probat ſecundum* Galeni *ſententiam & hypotheſes eſſe nullam continentem, ſed omnino & ſimpliciter eſſe nullam. Nec uerò poſſe eſſe aliquam, nititur argumentis aſtruere, tam alienis à uero & abſurdis, quàm nimirũ propoſitum ipſius eſt abſurdũ.* Non enim *ſi continẹns cauſa*

Quare Galenus duntaxat duas ponat cauſas morbificas.

ſit nulla morbi, ſecundum hypotheſes quibus utitur Galenus: idcirco ſecundum Arabum *hypotheſin quoq; nulla erit.* Quemadmodũ Arabes *non tantùm quoad ſit & generatur, ſed etiã quoad eſt: cauſam habere dicũt morbum.* Itaq; *aduerſarius ſcopum ſuum obliuiſcitur, & non probat quòd ſecũdum* Galenum *nulla ſit* Continens, *ſed quod omnino ſit nulla, demonſtrare conatur.* Galenus Cauſam *genere & in uniuerſum ſic definit, ut ſit quod ſuapte natura rei naſcenti pro parte conferat aliquid ad ipſius ortum.* Deinde *oſtendit, cauſas alias propiores eſſe alijs, conſtituendo effectum. Illam uerò inter quam & effectũ nihil interueniat, eſſe primam & per ſe cauſam.* Quæ *autem proximam hanc præcedat, ſecundum accidens cauſam dici effectus, ut quæ non per ſe, ſed propter aliud effectum cõſtituat.* Ex *quo perſpicuũ eſt, morbum per ſe cauſam eſſe ſymptomatis, & morbi cuiuſdam: ut* Paralyſeos, *cauſam proximam eſſe humorem obſtruentem.* Is *enim humor, eſt* ὁμόγονον αἴτιον, *quo demonſtratur & definitur morbus ille.* Si *uidebitur, appellemus ſanè (ut* Cicero *ſolet) efficiẽter* Antecedentem, *aut* προσεχὲς, *ſeu* συνεκτικὸν αἴτιον. Quoniã *autore* Galeno *in primo libro de* Cauſis *pulſuum, cauſa hæc eſt: qua primò & principaliter conſtituitur eſſentia*

Quid ſit cauſa ſecundum Galenum.

Secundum Galenum συ-

tur eſſentia rei, non autem Antecedens, *neque primitiua, ut quæ nō ſint cauſæ, quibus aliquid ſit, ſed quibus fiat aliquid, quasq; rebus generatis iam exiſtentibus, non amplius eſſe oporteat.* Quandoquidem *autore* Ariſtotele, *præſentibus habitibus, deſinant motiones, quarum motionum cauſæ ſunt: duo hæc (ut dictum eſt) genera cauſarum, quæ coniuncta cum effectu nullo modo eſſe poſſunt.* Nam *quo* FIT *aliquid, ſimul tempore id cum eo quod factū eſt, eſſe nequit: ſiquidē ſimul eſſe nequeūt* FIERI *&* FACTVM *eſſe.* Vt *ergo* Obſtructio, *quæ eſt morbus in* Paralyſi: *per ſe & primò creans ſymptoma amiſſi & perempti motus & ſenſus, ita humor obſidens neruos & præcludens tranſitum: primò & per ſe obſtructionem, id eſt, morbum conſtituit, eiusq; proxima, id eſt, coniuncta eſt cauſa, & à morbo ſeparari nequit.* Galenus *aliquando, ut (uerbi gratia) pituitam in obſtructione, nominat* Antecedentē *cauſam: quæ tamē reſpectu morbi non ſimpliciter* Antecedit, *ſed efficienter antecedit, id eſt* Coniunctæ *rationem obtinet.* Nec *propter morbum dicitur* Antecedere, *quo cum proximè eſt iuncta, ſed propter ſymptoma, quod creat pituita huiuſmodi: non ipſa per ſe, ſed interuentu obſtructionis: nempe morbi, qui proximè itidem iun-*

συνεκτικὸν eſt κυριώτατον αἴτιον, pertinens ad eſſentiam effectus.

Antecedens & primcipiens cauſæ non ſunt per ſe cum effectu iunctæ.

Quo pacto ſæpe à Galeno, appellatur Antecedens.

gitur cum ſymptomate. Homonymiã hanc Antecedentis cauſæ, non animaduertens Anonymus, eam perpetuò interpretatur pro ea qua FIAT *morbus, & non pro ea qua* SIT *morbus, quæ (ut dixi) non reſpectu morbi, ſed ſymptomatis à Galeno dicatur Antecedens, quam Cicero quoq; Coniunctam cauſam ſubinde efficienter Antecedentem appellat. Idem humor numero eſt quo generatur obſtructio, & quo eſt obſtructio, utroq; modo & Antecedens & coniuncta cauſa exiſtens. Nam ſi conſideres illum reſpectu futuri morbi, cauſa eſt Antecedẽs ſimpliciter: ſin uerò cõſideres reſpectu motionis, qua* FIT *morbus, coniunctæ habebit rationem, quia motio omnis coniunctam habet cauſam. Ita quoq; eum humorem ſi conſideres quoad pars eſt morbi, cõiuncta erit & proxima cauſa: ſin autem referas eum ad ſymptoma, ſuo quodam modo antecedet, & cõiuncta ſymptomatis cauſa erit Morbus. At ſecundum Anonymum pituita quãdo participat ratione morbi ſeu obſtructionis, ſubita quadam metamorphoſi cauſa permutatur in effectũ, & ſubſtantia in Accidens. Quoniam ipſo autore Anonymo, pituita eſt ipſamet obſtructio, ſed de hoc paralogiſmo, ſuo dicturi ſumus loco. Galenus libro primo de Differentijs morborũ, Obſtructionem*

Motio omnis habet cauſam coniunctam, quia ſimul ſũt Mouẽs & motum actu.

Antecedere dupliciter dicitur cauſa, ordine uidelicet generationis, & ordine partium eſſentiæ effectus.

ctionem morbũ eſſe dicit, craſſos humores non eſſe morbum, ſed cauſam. Interpretatur *cauſam* Anonymus, *qua morbus fiebat, nempe* Antecedentem, *non qua* Eſt: *ſiquidem humorem, morbum ipſum dicit eſſe, & non cauſam, quoniam nulla ſit permanentium, ſed duntaxat* FIENTIVM *cauſa.* Quæro ex te Anonyme, *num humoris ſubſtantia ſit ad numerũ eadem: qua fiebat morbus, & item qua nunc eſſe dicitur? Si numero idem eſt humor, & morbus aliud nihil eſt quàm humor ille, ſequi neceſſe eſt ut quando ſubſtãtia humoris anteceſsit morbum, ipſe ſeipſum morbus anteceſſerit, quod dictu quidem abſurdiſsimũ eſt. Quòd ſi humor, non quatenus ſubſtantia eſt, ſed quòd ei accidit quidpiam, morbus eſt, neceſſe eſt ut concedas morbũ non eſſe ipſum humorem, ſed accidens ipſius quoddam.* Et *ut ratione futuri morbi, adeoq; motionis, accidit humori ut antecedens cauſa appellctur, ita eidem propter morbum cuius pars eſt, & non totus ipſe morbus, accidet, ut cauſæ coniunctæ participet ratione, quã ſi* Galenus *etiã appellet* Antecedentẽ: *homonymôs utatur uocabulo, pro efficienter nimirum antecedenti, ut à nobis dictum ſuprà fuit.* An*tecedentem porrò etiã cauſam nominat in primo libro de Symptomatum differentijs, conſti-*

Falſa hypotheſis Anonymi qua ſtatuit permanentiũ non eſſe cauſam.

Galenus utitur æquiuocè interdum uocabulo Antecedentis.

tuentem morbum cauſam, non quidem reſpectu morbi, ſed reſpectu ſymptomatis, quia humor non ſemetipſo & ſua ſubſtantia, ſed intercedente morbo, nempe obſtructione, impediat actionē. Nō enim primò cum ſymptomate iuncta eſt cauſa, ſed morbus, quare morbi coniuncta erit cauſa humor, ſed idē ſymptomatis gratia dicetur Antecedere. *Quia ut definitione prior eſt morbus ſymptomate, ita cauſa coniuncta præcedit morbum, tametſi temporis gratia ſimul eſſe dicantur.* Obtendit *nobis* Aduerſa*rius falſam definitionem* Antecedentis *cauſæ, qua fit & generatur morbus, qua fretus tanquam ſacra (ut dicitur) anchora, paradoxum illud ſuum tuetur.* Nec *mirum eſt, eum qui auſit dicere morbum eſſe ipſam ſubſtātiam, eundem quoq; ſic definire cauſam* Antecedentē *qua generetur morbus, ut inter eam & morbū, planè nulla cauſa alia poßit interuenire.* Ex *quo concludit* Cōiunctā *eſſe nullā, et humorē in obſtructione ſi non ſit cauſa, ex neceßitate eſſe ipſam obſtructionē.* At *Galenus in libro de* Differen*tijs febrium, negat humorem obſtruentem, eſſe ipſam obſtructionem, ad hūc ſcribens modum,*

Alia hypotheſis falſa, qua nimirum eſt definitio Antecedentis propoſita ab Anonymo.

μίαν οὖν ἔχοντος ἰδίαν ἐνέργειαν τοῦ τὸν ὄγκον κεκλημένου σώματος, ἓν μὲν τὸ νόσημα ἔσται τὸ κατὰ τὴν ἔμφραξιν. αἰτία δὲ αὐτοῦ οὐκ ἔτι νόσημά ἐστι ἢ τοῦ τὸν

ὄγκον

ἐγκειμ' ἔχοντος σώματος διάθεσις. Vnum hoc eſt erroris Anonymi fundamentum, ex quo reliqui omnes, tanquam ex càpite hydræ Sophiſtriæ (ut uerbo utar Platonis) pullulant. Atque illud eſt primũ quod ponit ut nòtiſſimum, nempe permanentium rerum non eſſe cauſam: de quo tamen in hac controuerſia unicè contenditur, nec intelligit ſe probare controuerſiam ſuam, eò tanquam argumentò, quod tamen argumentum nequaquam ſit: ſed propoſitum ſeu πρόβλημα, quod argumentis ſit aſtruendũ præcipuè aut refellendum. An hoc non eſt Andabatarum more pugnare? Quis unquam ad demonſtrandum adhibuit tanquam principium, quod ipſum maximè demonſtratum & probatum oportuit? Huic pronunciato ſimilis eſt definitio cauſæ Antecedentis quam affert. Ea uerò eſt, ut ſit cauſa morbi, inter quam & morbũ nulla alia poßit interuenire, cùm ſit per ſe cauſa immediata & proxima. Benè me herclè mihi ceſſit magiſterium illud definiendi quod ſibi iniuſſu Dialecticorum arrogat: quoniam Antecedentem quoq; cauſam mihi pro coniuncta obtrudit: & ut paulò antè ſubſtantiam, nempe cauſam, morbum ipſum dixit eſſe, ita nunc ſua definitione quaſi præſtigijs quibuſdam, cauſam Antecedentem permutauit in Coniunctã. Quid obſecro

Præcipuum erroris fundamentum quo Anonymus nititur.

Falſa definitio Anonymi reprehenditur.

Multũ refert ut aliquid ratẽ

dem effectus eſſe, eadẽ uerò cauſa actu exiſtente, non ESSE, *ſed fieri duntaxat neceſſe ſit effectum? At quod* PER SE *eſt, neceſſariò iungitur cum eo cuius reſpectu dicitur per ſe: quod omnibus modis,* PER SE, *ab Ariſtotele expoſitis, eſt euidens. Itaq; ut* FIENTIS *per ſe cauſam morbi, Antecedentem hanc rectè quiſpiam dixerit: ita* FACTI *morbi, non niſi ſecundum accidens, dicetur cauſa. Quò reſpiciens Galenus: non niſi duas morborũ, quoad fiunt, cauſas eſſe dixit, quo in numero ſcilicet, nequit eſſe proximè cum morbo coniuncta cauſa, de qua quæritur & diſputatur in præſentia, an ne eſſentiæ quidẽ (quoad eſt coniuncta) morborum pars interdum eſſe queat, cùm eorũdem quoad Antecedens cauſa, per ſe nulla eſſe poßit? Quare ſi quæ facti morbi cauſa eſt, ea ex neceßitate Coniuncta ipſius erit, & non Antecedens. Hactenus demonſtratum eſt, morbi (quoad ſit exiſtens quiddam) cauſam per ſe non eſſe Antecedentem, ſed Anonymus eſſe dicit, & nihilominus negat eam eſſe partẽ eſſentiæ morbi. Tametſi eſſentia morbi præſentia cauſæ ipſius cõſtituatur, quoad ei per ſe & proximè adeſt: quæ ratio magis quadrat Continenti Stoicorũ cauſæ, quàm Antecedenti Galeni. Nam Stoicis autoribus, cauſa Cõtinens eſt: quæ pars*

Quod per ſe neceſſariò iungitur cum eo cuius reſpectu dicitur per ſe eſſe.

Anonymi definitio, qua definit cauſam Antecedentẽ, magis quadrat Cõtinenti Stoicorum.

quæ pars non ſit eſſentiæ totius, ſed extrinſecus accedens ſit uinculũ quoddam, quo connectantur partes eſſentiæ, ſic ut ex multis fiat unum. Quòd ſi cauſa Antecedens per ſe cõſtituit effectum, & pars tamen eſſentiæ effectus non eſt, quid quæſo aliud erit quàm Stoicorum Continens hæc fictitia, qua per ſe rerum eſſentias deuinctas & connexas inaniter illi fingunt? Hunc errorem Ariſtoteles libro 8. Metaphyſ. confutat, & inde profectum eſſe ſcribit, quòd uidelicet unitatis in rebus cauſam per ſe nullã intelligere potuerint nõnulli, quam tamen nos, quoad generãtur res, Efficientem ſeu Antecedentem appellamus, quatenus uerò ſunt res, actum & potentiam pro cauſa unitatis aſsignamus, & non externum quendam ſpiritum qui ex multis, nempe materia, & forma, faciat unum. Fingitur itaque continens hæc à Stoicis, ὅτι δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας ζητοῦσι λόγον ἑνοποιὸν, quos imitatur Anonymus, quoniam definitio hæc Antecedentis cauſæ quadrare poteſt etiã Cõtinenti Stoicorũ cauſæ. Antecedẽs igitur per ſe & proxima dicitur cauſa effectus, nempe morbi, aut quia pars eſt ipſius, qua ratione ἐνυπάρχον erit et συνεκτικὸν αἴτιον, ſiue coniuncta cum morbo. Aut ſi nõ eſt pars eſſentiæ, ſed uinculum continens partes ipſius, accedens extrin-

Vnde nata ſit opinio cauſæ continentis Stoicorum.

Metaphyſ. 8.

Antecedens, prout eã deſinit Anonymus, aut eſt ἐνυπάρχον Ariſtotelis, aut συνεκτικὸν Stoicorum.

ſecus, cauſa per ſe erit effectuum, ſecundum Stoicos continens. Viderit ergo nunc aduerſarius, ne dum in ſuo libello id unicè laborat, ut nullam eſſe probet continentem, hanc Stoicorum cauſam defendat, damnatam à Galeno, & ab omnib. eruditis philoſophis exploſam: quã tantùm abeſt ut nullam eſſe doceat, ut potius aſtruat eam in omnibus rebus, quarumcunq; ſint Antecedentes cauſæ, reperiri. Inſcitia Dialecticæ artis accidit ſæpenumero, ut nolens ac neſciens quiſpiam probet & aſtruat, quæ refellenda tamen ſuſceperat: idipſum accidiſſe etiam Anonymo oſtendam, qui cauſam Antecedentem his explicuit uerbis:

Quorumcunq; eſt antecedẽs, eorundẽ quoque cõiuncta eſt cauſa ſecũdum Stoicos. At ſecundum rectè ſentientes nõnullorũ duntaxat effectuum eſt coniuncta, non omnium.

Altera morbifica cauſa, Græcis προηγουμένον, Latinis præcedens, iunioribus Antecedens, non certè quod aliam cauſam morbo magis proximam (ut magna pars aduerſariorũ exiſtimat) ſed quòd morbum nulla alia intercedente cauſa antecedat.

Fol. 22.

Galenus certè quãdocunq; cauſas morborũ duas eſſe dicit, non ad eſſentiam, ſed ad generationem morborum reſpexit. Morborum igitur, quatenus generãtur, cauſæ ſunt per ſe duæ, eædem morborum, quoad ſunt, cauſæ non dicentur eſſe per ſe, neq; immediatæ, neq; proximæ. Nequit enim una eademq; cauſa per ſe eſſe

& im-

& immediata rei quatenus Fit, *& quatenus* Eſt. *Quocirca perperàm interpretatur Galenum, qui non eſſentiæ morborum, ſed generationis ipſorũ has per ſe cauſas eſſe dixit.* Poſtea *hæc ſubijcit uerba:*

Antecedens cauſa pertinet per ſe ad res quatenus fiunt. Ergo quatenus ſũt, earum per ſe nõ dicitur antecedens eſſe cauſa.

Vt hinc manifeſtum ſit, Galenum præcedentem morbi cauſam uocare hanc, quæ in animalis corpore hæret atq; conſiſtit, affectuiq; ipſi, qui functionem lædit, proxima, & (ut ſic dicam) immediata, ita ſanè ut inter hanc & morbũ nihil interueniat, exiſtit. Quod phlegmones exemplo ſit manifeſtiſsimum. Nam inter ſanguinem confluentem, qui cauſa præcedens eſt, & tumorem, quem ille excitauit, quiq; phlegmone ſeu morbus appellatur, nihil eſt quod interueniat.

Galenus commento primo libri ſecundi de natura humana, plethoran oſtẽdit non eſſe continentem morbi cauſam, ſed Antecedẽtem: *quia ſi fuerit plethora, neceſſe non ſit morbum eſſe.* Ergo *ſecundum* Anonymum, *niſi morbo proxima ſit* Antecedens *& immediatè cum eo nexa, non erit* Antecedens, *quo refellitur dogma Galeni negantis, cauſam hanc eſſe, quoad nihil inter ipſam & morbũ queat interuenire, cùm præſertim ſit* Antecedens, *quando ſcilicet morbus nondum eſt.* Et *paulò poſt demonſtrabimus*

Si cauſa antecedens per ſe cauſa morbi eſſet, tum immediatè plethora iñgeres

tur cum morbo, quod contra Galenum eſt.

Antecedentem tantiſper durare, donec inter ipſam & morbũ aliquid interueniat, deſinatq́; tum primùm eſſe, quando morbus incipit. Nam *illud ipſum eſt morbum* Antecedere, *non ſimul eſſe cum morbo, quòd* Cõtinenti, *non* Antecedenti *cauſæ quadrat.* Ergo *quandiu cauſa* Antecedens *eſt, morbus non eſt: ſed fit.* Quomodò

Antecedentem non eſſe proximã morbi & per ſe cauſam.

igitur proxima erit affectui ſeu morbo, ſi morbo exiſtente ipſa nequaquam ſit? quandoquidem proximum eſſe, nihil poſſit dici, niſi quod ſit etiam, ſiquidem relata ſimul ſunt, & ſimul etiam deſinunt eſſe? Galeno *profectò definitio hæc* Antecedentis *cauſæ non arridebit, non enim proximam ſed remotam à morbo cauſam hanc uult intelligi.* Ergo *non niſi fientis morbi per ſe & immediata cauſa erit* Antecedens, *& cùm habitu terminetur motus, ſeu* Alteratio, *quemadmodum priuationem nemo proximam habitui, neq; cauſam per ſe ipſius eſſe dicit, ita nec motionem, quæ ſemper coniuncta eſt cum priuatione, nec* Antecedentem *etiam cauſam, à qua motus ille proficiſcitur, proximam habitui dixerit quiſpiam eſſe.* Quapropter *non immediatè & per ſe eſſe cum morbo* 'Antecedentem *cauſam dicere debuit, ſed eam immediatè potius deſinere ſi ſit morbus.* Non ob id tamẽ *perfectus morbus, ſi motu careat, eſſentiæ ſuæ cauſam*

ſam interdum non habebit. Nec ſolùm Fit *pro*-*pter cauſam,* πάθος *morbi:uerùm ne* Eſſe *quidem nonnulli morbi poſſunt nullius interuentu cauſæ, quod abſurdum tamen eſſe noſter putat aduerſarius, hac in re non* Galenũ*,ſed* Democritum *imitans.* Is *rerum quatenus ſunt, & non generantur, nullam arbitratur eſſe cauſam. Siquidem omne quod eſt, quatenus eſt, omnino fieri nequit, ac nec generari ſcilicet, nec interire poteſt.* Quamobrem *quod eſt (quatenus intelligitur eſſe) æternum ſit oportet.* At *æternorum, ut principium nullum: ita ne cauſa quidem exiſtit, quæ* Democriti *eſt ſententia.* Idem *uidetur* Anonymo, *qui morborum quatenus ſunt, cauſam nullam exiſtimat eſſe.* Nos *uerò quorundam eſſentiæ quoq; cauſam eſſe dicimus.* Democriti *uerò &* Anonymi *opinione non modò quorũdam eſſentia tollitur è medio, uerùm etiam ſcientia & demonſtratio negatur eſſe, quæ iam pridem exploſa eſt ſententia, nec digna que refellatur accuratius argumentis aut diſputãdo.* Reſpondebit Anonymus, *motuum quibus generentur morbi, & ſymptomatum item quæ ſequantur morbos, eſſe coniunctas cauſas.* Sed *permanentium, id eſt morborum, nullas eſſe dicit.* Quæro: *permanentiũ quare nullam eſſentiæ cauſam exiſtimet, cùm*

Ariſto. libr. 1. de genera. animalium.

Anonymus dum dicit eorum quæ ſunt & permanent nullã eſſe cauſam, Democritum imitatur, nõ Galenum.

Permanentium etiã cauſas eſſe, ultro cõcedit Anonymus,

permanentium quoq; ſymptomatum(quæ genere διαθέσεως *complexus eſt Galenus) cauſas tamen coniunctas morbos eſſe dicat? Quid ni morborum etiam nonnullorum, quantumuis permaneāt, cauſas eſſe fateris, non quibus fiāt, ſed quibus exiſtant, & in diſciplinis etiam demonſtrētur? Vt enim nihil eſt quod ipſum ſeſe moueat, ſed omnem motum neceſſe eſt à quadam proficiſci cauſa: ſic nõ omne quod* ESТ, *abſolutam in ſubiecto, ſed cum cauſa quadam coniunctam interdum eſſentiam habebit. Quæ licet in omnibus diſciplinis notiſſima ſint, tamen propter Anonymum prolixius de his diſſerendum in præſentia putaui, quo rectius nimirum de principijs iudicaret, quibus nituntur ueræ demonſtrationes, quæ ſi nulla ſint, ne concluſa quidem eſſe poterunt. Verùm ſuprà oſtendimus, plurimorum effectuum rationes & definitiones cauſis, cum eſſentia ipſorũ cõiunctis, explicari ſolere, quod ipſum Anonymus ſi animaduertiſſet quàm ſit abſurdũ negare, nunquã profectò in animũ induxiſſet, tantopere principem hanc cauſam, irridendis potius quàm confutãdis argumentis, è medio profligare. Sed dabimus operam, ut opinio falſa magis exploſa uerè & conſentaneè, quàm ratio continentis cauſæ diſputatione ipſius ad nihilum redacta uideatur*

deatur eruditis: quorum unus & alter, ut Heraclitus dicere ſolebat, erũt mihi inſtar aliquot myriadũ, qui ſine ratione ueritati ogganniũt. Primùm igitur negamus, inter morbum quemlibet & ſubiectum morbi, cauſam nullam interuenire. Vt phlegmone πάθος eſt, nempe calor & tumor contra naturam in carne, uel alia quapiam parte corporis tãquam ſubiecto inhærens. Sanguis uerò neutrũ eſt, quia nec ſubiectum, nec πάθος ſeu qualitas, ſed cauſa eſt ut qualitas huiuſmodi (nempe inflammatio) inſit ſubiecto, quam cauſam in ſua definitione complectitur phlegmone, & pars eſt phlegmones ſanguis, non autem tota phlegmone, ut uidetur Anonymo, exiſtit. Deinde negamus etiam Antecedentem cauſam, qua generatur phlegmone, per ſe cauſam & proximã phlegmones eſſe, quoniam cauſa ipſius proxima, non profluens, ſed impactus ſanguis eſt, quã aliàs coniunctam appellamus. Profluens uerò, & efficiens phlegmonen ſanguis, cauſa per ſe generationis phlegmones eſt, non eſſentiæ phlegmones: quemadmodum nulla priuatio per ſe cauſa eſt eſſentiæ effectus, ſed ſecundum accidens, ut docet Ariſtoteles in Phyſicis: ita motus etiã qui ſemper cum priuatione habitus eſt coniunctus, non niſi ſecundum accidens cauſa eſt

Sanguis in phlegmone cauſa eſt coniuncta diatheſeos, nẽpe inflammationis & tumoris.

Motus & priuatio ſũt principia rerũ per accidens.

gitur cum ſymptomate. Homonymiã hanc Antecedentis cauſæ, non animaduertens Anonymus, eam perpetuò interpretatur pro ea qua FIAT morbus, & non pro ea qua SIT morbus, quæ (ut dixi) non reſpectu morbi, ſed ſymptomatis à Galeno dicatur Antecedens, quam Cicero quoq; Coniunctam cauſam ſubinde efficienter Antecedentem appellat. Idem humor numero eſt quo generatur obſtructio, & quo eſt obſtructio, utroq; modo & Antecedens & coniuncta cauſa exiſtens. Nam ſi conſideres illum reſpectu futuri morbi, cauſa eſt Antecedẽs ſimpliciter: ſin uerò cõſideres reſpectu motionis, qua FIT morbus, coniunctæ habebit rationem, quia motio omnis coniunctam habet cauſam. Ita quoq; eum humorem ſi conſideres quoad pars eſt morbi, cõiuncta erit & proxima cauſa: ſin autem referas eum ad ſymptoma, ſuo quodam modo antecedet, & cõiuncta ſymptomatis cauſa erit Morbus. At ſecundum Anonymum pituita quãdo participat ratione morbi ſeu obſtructionis, ſubita quadam metamorphoſi cauſa permutatur in effectũ, & ſubſtantia in Accidens. Quoniam ipſo autore Anonymo, pituita eſt ipſamet obſtructio, ſed de hoc paralogiſmo, ſuo dicturi ſumus loco. Galenus libro primo de Differentijs morborũ, Obſtructionem

Motio omnis habet cauſam coniunctam, quia ſimul ſũt Mouẽs & motum actu.

Antecedere dupliciter dicitur cauſa, ordine uidelicet generationis, & ordine partium eſſentiæ effectus.

ctionem morbũ eſſe dicit, craſſos humores non eſſe morbum, ſed cauſam. Interpretatur *cauſam* Anonymus, *qua morbus fiebat, nempe* Antecedentem, *non qua* Eſt: *ſiquidem humorem, morbum ipſum dicit eſſe, & non cauſam, quoniam nulla ſit permanentium, ſed duntaxat* FIENTIVM *cauſa.* Quæro *ex te* Anonyme, *num humoris ſubſtantia ſit ad numerũ eadem: qua fiebat morbus, & item qua nunc eſſe dicitur? Si numero idem eſt humor, & morbus aliud nihil eſt quàm humor ille, ſequi neceſſe eſt ut quando ſubſtãtia humoris anteceßit morbum, ipſe ſeipſum morbus anteceſſerit, quod dictu quidem abſurdißimũ eſt.* Quòd *ſi humor, non quatenus ſubſtantia eſt, ſed quòd ei accidit quidpiam, morbus eſt, neceſſe eſt ut concedas morbũ non eſſe ipſum humorem, ſed accidens ipſius quoddam.* Et *ut ratione futuri morbi, adeoq́; motionis, accidit humori ut antecedens cauſa appelletur, ita eidem propter morbum cuius pars eſt, & non totus ipſe morbus, accidet, ut cauſæ coniunctæ participet ratione, quã ſi* Galenus *etiã appellet* Antecedentẽ: *homonymôs utatur uocabulo, pro efficienter nimirum antecedenti, ut à nobis dictum ſuprà fuit.* Antecedentem *porrò etiã cauſam nominat in primo libro de* Symptomatum *differentijs, conſti-*

Falſa hypotheſis Anonymi qua ſtatuit permanentiũ non eſſe cauſam.

Galenus utitur æquiuocè interdum uocabulo Antecedentis.

tuentem

tuentem morbum cauſam, non quidem reſpectu morbi, ſed reſpectu ſymptomatis, quia humor non ſemetipſo & ſua ſubſtantia, ſed intercedente morbo, nempe obſtructione, impediat actionẽ. Nõ enim primò cum ſymptomate iuncta eſt cauſa, ſed morbus, quare morbi coniuncta erit cauſa humor, ſed idẽ ſymptomatis gratia dicetur Antecedere. Quia ut definitione prior eſt morbus ſymptomate, ita cauſa coniuncta præcedit morbum, tametſi temporis gratia ſimul eſſe dicantur. Obtendit nobis Aduerſarius falſam definitionem Antecedentis cauſæ, qua fit & generatur morbus, qua fretus tanquam ſacra (ut dicitur) anchora, paradoxum illud ſuum tuetur. Nec mirum eſt, eum qui auſit dicere morbum eſſe ipſam ſubſtãtiam, eundem quoq; ſic definire cauſam Antecedentẽ qua generetur morbus, ut inter eam & morbũ, planè nulla cauſa alia poßit interuenire. Ex quo concludit Cõiunctã eſſe nullã, et humorẽ in obſtructione ſi non ſit cauſa, ex neceßitate eſſe ipſam obſtructionẽ. At Galenus in libro de Differentijs febrium, negat humorem obſtruentem, eſſe ipſam obſtructionem, ad hũc ſcribens modum,

Alia hypotheſis falſa, qua nimirum eſt definitio Antecedentis propoſita ab Anonymo.

μίαν οὖν ἔχοντος ἰδίαν ἐνέργειαν τοῦ τὸν ὄγκον κινουμένου σώματος, ἓν μὲν τὸ νόσημα ἔσται τὸ κατὰ τὴν ἔμφραξιν. αἰτία δὲ αὐτοῦ οὐκ ἔτι νόσημά ἐστι ὁ τοῦ τὸν

ὄγκον

ἔγκειρ ἔχοντος σώματος διάθεσις. Vnum hoc eſt erroris Anonymi fundamentum, ex quo reliqui omnes, tanquam ex capite hydræ Sophiſtriæ (ut uerbo utar Platonis) pullulant. Atque illud eſt primũ quod ponit ut nótiſſimum, nempe permanentium rerum non eſſe cauſam: de quo tamen in hac controuerſia unicè contenditur, nec intelligit ſe probare controuerſiam ſuam, eò tanquam argumentò, quod tamen argumentum nequaquam ſit: ſed propoſitum ſeu πρόβλημα, quod argumentis ſit aſtruendũ præcipuè aut refellendum. An hoc non eſt Andabatarum more pugnare? Quis unquam ad demonſtrandum adhibuit tanquam principium, quod ipſum maximè demonſtratum & probatum oportuit? Huic pronunciato ſimilis eſt definitio cauſæ Antecedentis quam affert. Ea uerò eſt, ut ſit cauſa morbi, inter quam & morbũ nulla alia poſſit interuenire, cùm ſit per ſe cauſa immediata & proxima. Benè me herclè mihi ceſſit magiſterium illud definiendi quod ſibi iniuſſu Dialecticorum arrogat: quoniam Antecedentem quoq; cauſam mihi pro coniuncta obtrudit: & ut paulò antè ſubſtantiam, nempe cauſam, morbum ipſum dixit eſſe, ita nunc ſua definitione quaſi præſtigijs quibuſdam, cauſam Antecedentem permutauit in Coniunctã. Quid obſecro

Præcipuum erroris fundamentum quo Anonymus nititur.

Falſa definitio Anonymi reprehẽditur.

Multũ refert ut aliquid τινὲ

Raiatur. Galenus lib.2.de differ.pulſuū.

obſecro eſt cauſa Coniuncta aliud, quàm quod loco, tempore, definitione ab effectu ſeparari nequit? Hæ uerò nō ſunt aliæ cauſæ, quā quibus conſtituitur effectus primò, per ſe, immediatis, & proximè adiunctis, quibus cùm definias tu Antecedentē, pro Antecedente nobis definijſti Cōiunctā. His ergo fretus hypotheſib. rationes & ſyllogiſmos tuos cōtexuiſti, quibus fidem is habeat ſanè, qui non recuſat principijs tuarum demonſtrationum credere, quarum tamen concluſa falſa eſſe quiuis intelligat, qui uel mediocriter artis Dialecticæ præcepta deguſtarit. Doctis fortaſſe, quæ diximus hactenus, poſſent ſatisfacere: ut plura in medium afferre non ſit opus ad conuincendum aduerſariū: ſed cùm ſit humanitatis errantes reducere in uiam, conabor ire per ſingula, omnibusq; ueſtigijs latitantia ſophiſmata inſequi, atq; hydræ quidem illius capita omnia reſecabo: ne ſi unum aut alterum amputatum non ſit, periclitari rurſus ueritatem cōtingat: quam nihil eſt certè quod magis obſcuret, quàm fucus falſorum argumentorum in diſputationibus. Ergo morbum non ſic antecedit cauſa effectrix, ut ipſius per ſe ſit, & proxima cauſa, ut uidetur Anonymo. Nam quod per ſe eſt, reſpectu alterius, id neceſſariū eſt. Quare ſi per ſe cauſa ſit Antecedēs, morbū

Antecedentē cauſam nō eſſe per ſe & immediatam cauſam.

efficiens

efficiens, neceſſe erit (hac exiſtente cauſa) morbum ipſum aut eſſe, aut fieri, & cauſam efficiẽtem ſui ſubſequi. At *liquet ex* Phyſicis, *γνώσει prioribus cauſis (quas ego genere* Antecedentis *cauſæ perſtringo) neq; eſſe neq; fieri effectum ex neceßitate.* Alioqui *enim cauſæ fatales omnes erunt, & pars altera* Medicæ *artis, nempe* προφυλακτικὴ *nequaquã uſurpabitur, ſi cautioni non erit locus, ſiquidem per ſe (autore* Anonymo *) conſtituũtur morbi cauſis, quæ ipſos nimirum* Antecedunt. Quòd *ſi præcaueri poſſunt, morborum cauſæ illæ contingentes certè erunt, & ſecundum accidens, quod tamen non uidetur aduerſario noſtro.* Quaſi *uerò cauſa quælibet reſpectu cuiuſq;, per ſe cauſa dici debeat: & non quæuis ſuum proprium habeat effectum, ratione cuius per ſe & proxima dicatur eſſe: reſpectu uerò aliorũ, mediata aut ſecundum accidens cauſa exiſtat. Suprà oſtendimus* Antecedentis *cauſæ effectum per ſe, eſſe motionem, id eſt, morbum fientem, ſeu quoad fiat.* Ergo *morbi, quoad eſt, ſecundum accidens cauſa erit, ſiquidem motũ & generationem effectus* Cauſa *antecedens, per ſe: non autem eſſentiam effectus reſpicit.* Quomodo *enim* PER SE *cauſa erit eſſentiæ effectus, cum deſinente ipſius energia, incipiat tandem effe-*

Cauſæ antecedentes reſpectu effectus, nõ per ſe ſed per accidens eſſe dicuntur.

Antecedentis cauſæ per ſe effectus eſt motus, per accidẽs, habitus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dem effectus eſſe, eadē uerò cauſa actu exiſtente, non ESSE, ſed fieri duntaxat neceſſe ſit effectum? At quod PER SE eſt, neceſſariò iungitur cum eo cuius reſpectu dicitur per ſe: quod omnibus modis, PER SE, ab Ariſtotele expoſitis, eſt euidens. Itaq; ut FIENTIS per ſe cauſam morbi, Antecedentem hanc rectè quiſpiam dixerit: ita FACTI morbi, non niſi ſecundum accidens, dicetur cauſa. Quò reſpiciens Galenus: non niſi duas morborū, quoad fiunt, cauſas eſſe dixit, quo in numero ſcilicet, nequit eſſe proximè cum morbo coniuncta cauſa, de qua quæritur & diſputatur in præſentia, an ne eſſentiæ quidē (quoad eſt coniuncta) morborum pars interdum eſſe queat, cùm eorūdem quoad Antecedens cauſa, per ſe nulla eſſe poßit? Quare ſi quæ facti morbi cauſa eſt, ea ex neceßitate Coniuncta ipſius erit, & non Antecedens. Hactenus demonſtratum eſt, morbi (quoad ſit exiſtens quiddam) cauſam per ſe non eſſe Antecedentem, ſed Anonymus eſſe dicit, & nihilominus negat eam eſſe partē eſſentiæ morbi. Tametſi eſſentia morbi præſentia cauſæ ipſius cōſtituatur, quoad ei per ſe & proximè adeſt: quæ ratio magis quadrat Continenti Stoicorū cauſæ, quàm Antecedenti Galeni. Nam Stoicis autoribus, cauſa Cōtinens eſt: quæ pars

Quod per ſe neceſſariò iungitur cum eo cuius reſpectu dicitur per ſe eſſe.

Anonymi definitio, qua definit cauſam Antecedentē, magis quadrat Cōtinenti Stoicorum.

quæ pars non ſit eſſentiæ totius, ſed extrinſecus accedens ſit uinculũ quoddam, quo connectantur partes eſſentiæ, ſic ut ex multis fiat unum. Quòd ſi cauſa Antecedens per ſe cõſtituit effectum, & pars tamen eſſentiæ effectus non eſt, quid quæſo aliud erit quàm Stoicorum Continens hæc fictitia, qua per ſe rerum eſſentias deuinctas & connexas inaniter illi fingunt? Hunc errorem Ariſtoteles libro 8. Metaphyſ. confutat, & inde profectum eſſe ſcribit, quòd uidelicet unitatis in rebus cauſam per ſe nullã intelligere potuerint nõnulli, quam tamen nos, quoad generãtur res, Efficientem ſeu Antecedentem appellamus, quatenus uerò ſunt res, actum & potentiam pro cauſa unitatis aſſignamus, & non externum quendam ſpiritum qui ex multis, nempe materia, & forma, faciat unum. Fingitur itaque continens hæc à Stoicis,

Vnde nata ſit opinio cauſæ continentis Stoicorum.

ὅτι δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας ζητοῦσι λόγον ἑνοποιόν, quos imitatur Anonymus, quoniam definitio hæc Antecedentis cauſæ quadrare poteſt etiã Cõtimenti Stoicorũ cauſæ. Antecedẽs igitur per ſe & proxima dicitur cauſa effectus, nempe morbi, aut quia pars eſt ipſius, qua ratione ὁμόγονον erit et συνεκτικὸν αἴτιον, ſiue coniuncta cum morbo. Aut ſi nõ eſt pars eſſentiæ, ſed uinculum continens partes ipſius, accedens extrin-

Metaphyſ. η.

Antecedens, prout eã definit Anonymus, aut eſt ὁμόγον& Ariſtotelis, aut συνεκτικὸ Stoicorum.

ſecus, cauſa per ſe erit effectuum, ſecundum Stoicos continens. Viderit ergo nunc aduerſarius, ne dum in ſuo libello id unicè laborat, ut nullam eſſe probet continentem, hanc Stoicorum cauſam defendat, damnatam à Galeno, & ab omnib. eruditis philoſophis exploſam: quã tantùm abeſt ut nullam eſſe doceat, ut potius aſtruat eam in omnibus rebus, quarumcũq; ſint Antecedentes cauſæ, reperiri. Inſcitia Dialecticæ artis accidit ſæpenumero, ut nolens ac neſciens quiſpiam probet & aſtruat, quæ refellenda tamen ſuſceperat: idipſum accidiſſe etiam Anonymo oſtendam, qui cauſam Antecedentem his explicuit uerbis:

Quorumcũq; eſt antecedẽs, eorundẽ quoque cõiuncta eſt cauſa ſecũdum Stoicos. At ſecundum rectè ſentientes nõnullorũ duntaxat effectuum eſt coniuncta, non omnium.

Altera morbifica cauſa, Græcis προηγουμένη, Latinis præcedens, iunioribus Antecedens, non certè quod aliam cauſam morbo magis proximam (ut magna pars aduerſariorũ exiſtimat) ſed quòd morbum nulla alia intercedente cauſa antecedat.

Fol. 22.

Galenus certè quãdocunq; cauſas morborũ duas eſſe dicit, non ad eſſentiam, ſed ad generationem morborum reſpexit. Morborum igitur, quatenus generãtur, cauſæ ſunt per ſe duæ, eædem morborum, quoad ſunt, cauſæ non dicentur eſſe per ſe, neq; immediatæ, neq; proximæ. Nequit enim una eademq; cauſa per ſe eſſe & im-

& immediata rei quatenus Fit, *& quatenus* Eſt. *Quocirca perperàm interpretatur Galenum, qui non eſſentiæ morborum, ſed generationis ipſorũ has per ſe cauſas eſſe dixit.* Poſtea *hæc ſubijcit uerba:*

Antecedens cauſa pertinet per ſe ad res quatenus fiunt. Ergo quatenus ſũt, earum per ſe nõ dicitur antecedens eſſe cauſa.

Vt hinc manifeſtum ſit, Galenum *præcedentem morbi cauſam uocare hanc, quæ in animalis corpore hæret atq; conſiſtit, affectuiq; ipſi, qui functionem lædit, proxima, & (ut ſic dicam) immediata, ita ſanè ut inter hanc & morbũ nihil interueniat, exiſtit. Quòd phlegmones exemplo ſit maniſeſtiſſimum. Nam inter ſanguinem confluentem, qui cauſa præcedens eſt, & tumorem, quem ille excitauit, quiq; phlegmone ſeu morbus appellatur, nihil eſt quod interueniat.*

Galenus commento primo libri ſecundi de natura humana, plethoran oſtẽdit non eſſe continentem morbi cauſam, ſed Antecedẽtem: *quia ſi fuerit plethora, neceſſe non ſit morbum eſſe.* Ergo *ſecundum* Anonymum, *niſi morbo proxima ſit* Antecedens *& immediatè cum eo nexa, non erit* Antecedens, *quo refellitur dogma Galeni negantis, cauſam hanc eſſe, quoad nihil inter ipſam & morbũ queat interuenire, cùm præſertim ſit* Antecedens, *quando ſcilicet morbus nondum eſt.* Et *paulò pòſt demonſtrabimus*

Si cauſa antecedens per ſe cauſa morbi eſſet, tum immediatè plethora iũgeretur

tur cum morbo, quod contra Galenum eſt.

Antecedentem tantiſper durare, donec inter ipſam & morbū aliquid interueniat, deſinatq́; tum primùm eſſe, quando morbus incipit. Nam *illud ipſum eſt morbum* Antecedere, *non ſimul eſſe cum morbo, quod* Cōtinenti, *non* Antecedenti *cauſæ quadrat.* Ergo *quandiu cauſa* Antecedens *eſt, morbus non eſt: ſed fit.* Quomodò

Antecedentem non eſſe proximā morbi & per ſe cauſam.

igitur proxima erit affectui ſeu morbo, ſi morbo exiſtente ipſa nequaquam fit? quandoquidem proximum eſſe, nihil poßit dici, niſi quod ſit etiam, ſiquidem relata ſimul ſunt, & ſimul etiam deſinunt eſſe? Galeno *profectò definitio hæc* Antecedentis *cauſæ non arridebit, non enim proximam ſed remotam à morbo cauſam hanc uult intelligi.* Ergo *non niſi fientis morbi per ſe & immediata cauſa erit* Antecedens, *& cùm habitu terminetur motus, ſeu* Alteratio, *quemadmodum priuationem nemo proximam habitui, neq; cauſam per ſe ipſius eſſe dicit, ita nec motionem, quæ ſemper coniuncta eſt cum priuatione, nec* Antecedentem *etiam cauſam, à qua motus ille proficiſcitur, proximam habitui dixerit quiſpiam eſſe.* Quapropter *non immediatè & per ſe eſſe cum morbo* Antecedentem *cauſam dicere debuit, ſed eam immediatè potius deſinere ſi ſit morbus.* Non ob id *tamē perfectus morbus, ſi motu careat, eſſentiæ ſuæ cau-*

ſam

ſam interdum non habebit. Nec ſolùm Fit *propter cauſam, πάθος morbi:uerùm ne* Eſſe *quidem nonnulli morbi poſſunt nullius interuentu cauſæ, quod abſurdum tamen eſſe noſter putat aduerſarius, hac in re non* Galenũ,*ſed* Democritum *imitans.* Is *rerum quatenus ſunt,* & *non generantur, nullam arbitratur eſſe cauſam. Siquidem omne quod eſt, quatenus eſt, omnino fieri nequit, ac nec generari ſcilicet, nec interire poteſt.* Q*uamobrem quod eſt (quatenus intelligitur eſſe) æternum ſit oportet.* At *æternorum, ut principium nullum: ita ne cauſa quidem exiſtit, quæ* Democriti *eſt ſententia.* Idem *uidetur* Anonymo, *qui morborum quatenus ſunt, cauſam nullam exiſtimat eſſe.* Nos *uerò quorundam eſſentiæ quoq; cauſam eſſe dicimus.* Democriti *uerò* & Anonymi *opinione non modò quorũdam eſſentia tollitur è medio, uerùm etiam ſcientia* & *demonſtratio negatur eſſe, quæ iam pridem exploſa eſt ſententia, nec digna que refellatur accuratius argumentis aut diſputãdo.* Reſpondebit Anonymus, *motuum quibus generentur morbi,* & *ſymptomatum item quæ ſequantur morbos, eſſe coniunctas cauſas.* Sed *permanentium, id eſt morborum, nullas eſſe dicit.* Q*uæro: permanentiũ quare nullam eſſentiæ cauſam exiſtimet, cùm*

Ariſto. libr. 1. de genera. animalium.

Anonymus dum dicit eorum quæ ſunt & permanent nullã eſſe cauſam, Democritum imitatur, nõ Galenum.

Permanentium etiã cauſas eſſe, ultro cõcedit Anonymus,

permanentium quoq; ſymptomatum(quæ genere διαθέσεως *complexus eſt Galenus) cauſas tamen coniunctas morbos eſſe dicat? Quid ni morborum etiam nonnullorum, quantumuis permaneãt, cauſas eſſe fateris, non quibus fiãt, ſed quibus exiſtant, & in diſciplinis etiam demonſtrẽtur? Vt enim nihil eſt quod ipſum ſeſe moueat, ſed omnem motum neceſſe eſt à quadam proficiſci cauſa: ſic nõ omne quod* EST, *abſolutam in ſubiecto, ſed cum cauſa quadam coniunctam interdum eſſentiam habebit. Quæ licet in omnibus diſciplinis notiſsima ſint, tamen propter* Anonymum *prolixius de his diſſerendũ in præſentia putaui, quo rectius nimirum de principijs iudicaret, quibus nituntur ueræ demonſtrationes, quæ ſi nulla ſint, ne concluſa quidem eſſe poterunt.* Verùm *ſuprà oſtendimus, plurimorum effectuum rationes & definitiones cauſis, cum eſſentia ipſorũ cõiunctis, explicari ſolere, quod ipſum* Anonymus *ſi animaduertiſſet quàm ſit abſurdũ negare, nunquã profectò in animũ induxiſſet, tantopere principem hanc cauſam, irridendis potius quàm confutãdis argumentis, è medio profligare.* Sed *dabimus operam, ut opinio falſa magis exploſa uerè & conſentaneè, quàm ratio continentis cauſæ diſputatione ipſius ad nihilum redacta uideatur*

deatur eruditis: quorum unus & alter, ut Heraclitus dicere ſolebat, erũt mihi inſtar aliquot myriadũ, qui ſine ratione ueritati oggãniũt. Primùm igitur negamus, inter morbum quemlibet & ſubiectum morbi, cauſam nullam interuenire. Vt phlegmone πάθος eſt, nempe calor & tumor contra naturam in carne, uel alia quapiam parte corporis tãquam ſubiecto inhærens. Sanguis uerò neutrũ eſt, quia nec ſubiectum, nec πάθος ſeu qualitas, ſed cauſa eſt ut qualitas huiuſmodi (nempe inflammatio) inſit ſubiecto, quam cauſam in ſua definitione complectitur phlegmone, & pars eſt phlegmones ſanguis, non autem tota phlegmone, ut uidetur Anonymo, exiſtit. Deinde negamus etiam Antecedentem cauſam, qua generatur phlegmone, per ſe cauſam & proximã phlegmones eſſe, quoniam cauſa ipſius proxima, non profluens, ſed impactus ſanguis eſt, quã aliàs coniunctam appellamus. Profluens uerò, & efficiens phlegmonen ſanguis, cauſa per ſe generationis phlegmones eſt, non eſſentiæ phlegmones: quemadmodum nulla priuatio per ſe cauſa eſt eſſentiæ effectus, ſed ſecundum accidens, ut docet Ariſtoteles in Phyſicis: ita motus etiã qui ſemper cum priuatione habitus eſt coniunctus, non niſi ſecundum accidens cauſa eſt

Sanguis in phlegmone cauſa eſt coniuncta diatheſeos, nẽpe inflammationis & tumoris.

Motus & priuatio ſũt principia rerũ per accidens.

eſſentiæ habitus ſeu effectus. Quòd ſi motum Antecedentis cauſæ conſideramus ratione partium, in quas diuiduus eſt, tum profectò nulla pars ipſius reperietur proxima. Nam qualibet deſignata propior dari poterit, quoniam inter extremum MVTATVM (quod eſt habitus rei) & quodlibet præcedens ipſum Mutatum, motio intercedit, ut Antecedens cauſa, nullius partis motus reſpectu, proxima queat dici habitui: ſeu extremo Mutato. Quocirca poſita cauſa Antecedente, ſemper contingit effectum eſſe, nec demonſtrari per hanc cauſam poteſt effectus, quemadmodum ex effectu poſito, demonſtramus ex neceſsitate ea quæ præfuerunt γνώσ, & effectus ſi ſit, cauſam Antecedentem præfuiſſe oportet. Cauſa uerò hæc ſi fuerit, non eſt neceſſe effectũ eſſe, ſed contingit eſſe. Quòd ſi ita eſt, quomodo per ſe & proxima, id eſt, neceſſaria effectus cauſa erit Antecedens? Hactenus demonſtratum eſt, motum Antecedentis cauſæ, ſiue conſideremus totum & uniuerſum, ſiue ratione partium, per ſe cauſam effectus eſſentiæ non poſſe dici, quod ipſum præcipuum fundamentum eſt (ut dixi) erroris aduerſarij. Ergo quod probandum erat, id tanquam conceſſum & uerum Anonymus uſurpat, & dictatorem ſe, non diſputatorem, probãdis propo-

ſitis

Si conſideretur totus motus Antecedẽtis cauſę, tum per accidens eſt cauſa eſſentiæ effectus. Si partes motus, tum nulla reperietur immediata effectui.

Antecedens non eſt per ſe cauſa effectus. Quia ſi ſit, cõtingit, non neceſſe eſt effectum eſſe.

Aſyllogiſtos in prima figura, ſi maior eſt uniuerſ. affir. & minor uniuer. negatiua.

ſitis exhibet. Tum *uerò ſuperioribus ſimile eſt erratum, quo cenſet, non niſi quæ moueantur habere cauſam Cōiunctam. Sic autem arguta-tur:* Quicquid *mouetur, habet cauſam coniun-ctam, id eſt, actu mouentem cauſam: quando-quidem autore* Ariſtotele *lib.* 7. Phyſicorum, τὸ πρῶτον κινοῦν ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἅμα τῷ κινουμένῳ. ἅμα δὲ λέγω, διότι οὐδὲν αὐτῶν μεταξύ ἐστιν. *Sed permanentia non mouentur.* Ergo *non ha-bent cauſam coniunctā permanentia.* Præ*miſſa uera eſt utraq;, ſed concluſio nulla, quia formu la eſt* ἀσυλλόγιστος. Illi *ſunt ferè præcipui pa-ralogiſmi, quibus ſibi & alijs conatur fucum facere.* Quid *multa? inquit,* Quum *rerum per-manentium & conſtantium non ſint cauſæ con tinentes, morbi autem ſint res permanentes.* Igi *tur cauſas continentes nullas habeant neceſſe eſt.* μέγα λίαν τὸ αἴτημα, *ut* Ariſtotelis *uerbo utar, exprobrātis* Empedocli *argumenti cuiuſ-dam temeritatem: quando id quod maximè du-bitatur, id ſibi primùm credi poſtulat* Anony-*mus.* Ego *uerò miror quib. oculis, aut qua fron-te poßit* Anonymus *legere uerba hæc* Galeni, *quæ nunc ſubſcribam, & nihilominus abnega-re cauſam in morbis permanentem & coniun-ctam. Sic* Galenus *ſcribit libro primo de* Cau-*ſis morborum,* ὅταν δ᾽ αὐτὴ μὲν ἡ διάθεσις ἐνέρ-

γειαν βλάπτῃ πρώτως, τὸ δ' αἴτιον αὐτὸ μὴ βλάπτῃ, τὴν μὲν διάθεσιν, νόσημα, τὸ δ' ἐργαζόμενον αὐτὴν αἰτίαν ὀνομάζειν χρὴ νοσήματος. ὥσπερ ἐπί τε τῶν γλίσχρων ἔχει χυμῶν καὶ τῆς ἐμφράξεως. Quãdo inquit diatheſis primò lædit actionẽ, ſed cauſa non lædit primò, diatheſin appellamus morbũ, qđ' aũt facit eã, cauſam morbi appellare oportet, quemadmodũ res cõparata eſt in lentis ſuccis, & obſtructione. Aliud ergo obſtructio eſt, autore Galeno, & aliud humor. Nam humorem negat eſſe Diatheſin, ſed ipſum cauſam eſſe affirmat. Tam enim humor non eſt διάθεσις, quàm ſubſtantia non poteſt eſſe accidens. Quoad ſimul ſunt loco & tempore comparat Galenus inter ſe obſtructionem & humorem, ut intelligamus partem obſtructionis unam, διάθεσιν appellari, alteram uerò cauſam. Nam ſi humor ipſe ſit obſtructio per ſeſe, tum ubicunq; erit, & quantuluſcunq; in corpore, illic morbum eſſe oportebit: quod non eſt cauſas morborũ declarare, ſed fingere rationes quaſdam, quibus aſtruatur ἀπάθεια. Ergo humori quia accidit ut fluat, ut augeſcat, idcirco antecedens erit morbi cauſa. Eidem quia accidit, ut propter ipſum obſtruatur trãſitus alterius corporis, propterea idem obſtructionis cauſa erit coniuncta. Quòd ſi obſtructio nihil aliud ſit

quàm

quàm humor ille (ut uidetur aduerſario) nulla uſpiam ſine humore erit obſtructio. Sed obſtrui multa uidemus propter ſiccitatē, quamobrē humor aliud erit, et aliud obſtructio. Trāſfert *hæc omnia, quæ dicit hoc loco* Galenus, *ad cauſam antecedentē* Anonymus, *quaſi* Galenus *loquatur de obſtructione, non quatenus ſit, ſed quatenus fiat.* Reſpectu *læſæ actiōis ſeu ſymptomatis ſimul ponit eſſe* Galenus *obſtructionem & humorē.* At *humor, quoad eſt* Antecedēs, *nō eſt ſimul, ſed antecedit obſtructionē, & facta obſtructione ratio ipſius deſinit.* Ergo *humor is, qui ſimul eſt, cauſa erit* διαθέσεως *coniuncta, & immediata: qui cum diatheſi iunctus, reſpectu ſymptomatis eiuſdem, cauſa ſed mediata appellatur.* Antecedens *cauſa immediatè continuatur cum morbo, ſed non iunguntur, quia ſimul loco & tempore nequeunt eſſe, nec ſymptoma ullum reſpicit hāc cauſam (exceptis pathematis) ac deſinentibus tandem* Antecedentibus, *morbi dicuntur ſimpliciter exiſtere.* Pro *hac immediata morbi cauſa (quam nos ſimul cum diatheſi eſſe dicimus) nobis ſubſtituit* Anonymus Antecedentē, *quæ ſimul non eſt cum morbo, ſed immediata tantùm eſt propter cōtinuationem, qua iungitur motio cum extremo* FACTO *eſſe, nec ſimul eſt, ſed deſinit, quādo cum*

habitu

Antecedens cum morbo, gratia continui motus, dicitur immediatè eſſe.

habitu, ſeu FACTO *eſſe permutatur. Quare nimi nullam amplius habet cauſæ quod hoc modo eſt immediatum, nec per ſe, ſed ſecundũ accidens dũtaxat cõſtituit effectum, de quo abundè ſatis dictum ſuprà fuit. Reſtat ut autoritate Galeni probet aduerſarius* Antecedentem *eſſe morborum immediatam & per ſe cauſam. Fatemur ſanè morborum, quoad generentur,* Antecedentem *eſſe immediatam cauſam.* Nam *cum his ſimul ſunt* Antecedẽtes, *cum factis non ſunt ſimul, ſed tempore ab his, & loco ſeparantur.* Plethoram *dicit* Galenus *non immediatam eſſe morbi, id eſt continentem cauſam, quantum fatetur eſſe* Antecedentem. Nam *ſi ſit immediata, ſimul ut ipſa erit, morbum quoq; eſſe oportebit, quod rationi repugnat* Antecedentis *cauſæ.* Quibus *primò & immediatè cõſtituitur &* EST *morbus: ſunt aliâs ſubiectũ &* διάθεσις *contra naturam, aliâs utriſq; interijcitur cauſa coniuncta.* Qua *primò & immediatè morbus generatur, cauſa eſt* Antecedens, *eadem: non primò & immediatè conſtituitur morbus, ſed ſecundũ accidens.* Quoniam *motus, fientis habitus per ſe cauſa dicitur, ſed exiſtentis habitus, cauſa non eſt per ſe, quippe non niſi deſinente motu habitus eſſe incipiunt.* Proinde *cùm inter cauſam primò mouentem, & id quod fit uel mo-*

uel mouetur, medium nullum poßit interuenire: quæ immediata ſic eſſe dicimus, non eo modo immediata dicuntur, quo ſunt ἐφεξῆς ὄντα, ſed quo immediata dicuntur, & ſunt ἅμα ὄντα. Sic Ariſtoteles inter id quod primò ſeu actu mouet, & quod primò mouetur, nullũ interuenire medium docet, non quatenus ſint ἐφεξῆς, ſed quatenus ἅμα, id eſt, ſimul eſſe dicuntur, loco uidelicet & tempore non diſcreta. Sed Anonymus Antecedentem cauſam non ad motum, ſed ad effectum referens: immediatam eam eſſe dicit, non eodem modo quo Ariſtoteles, ſed ἐφεξῆς immediatam, quoad nimirum immediatè motionem Antecedentis cauſæ ſequitur ἐφεξῆς habitus. Immediatũ hac ratione eſſe, non probat Antecedẽtem cauſam, per ſe cauſam eſſentiæ habitus eſſe, & cum hoc modo, priuatio quoquè immèdiata ſit habitui, priuatio ob id tum per ſe cauſa non eſt habitus. Diſtinguenda ſunt hæc omnia perquàm accuratè, ne homonymia nobis imponat, quã in ualde ſimilib. uix quiſpiã euitare poßit. Quid ergo uetat quo minus permanẽs quoq; res quædã cauſam habeat ἐμόγονον, ſeu cõiunctã, cùm eius per ſe & immediata cauſa nullo modo poßit eſſe Antecedens? quam nobis ſemper obtrudit Anonymus, maximo errore definitionis iſtius cauſæ: quem errorem ſatis

Immediata quædã dicuntur Simul eſſe, quædã uerò deinceps.

rem ſatis ſuperq; à me hactenus confutatum arbitror. Ergo cæci illi non ſunt, ut uidetur Anonymo, qui Antecedentem negant eſſe immediatam: eo modo quo cauſa per ſe reſpectu proprij ſubiecti immediata eſt. Sed motus & habitus ſub ratione, qua ſunt ordine ἐφεξῆς, immediata dicuntur. Quatenus autem unum permutatur altero, ut cum motu habitus, non niſi ſecũdum accidens unũ dicimus cauſam alterius exiſtere: quoniã ut præteritũ cum futuro, ſic efficiens cum eo quod factũ eſt, ſimul eſſe nequit. Cauſæ autẽ per ſe, ſimul ſunt cum eo cuius ſunt cauſæ. Extra eſſentiã fieri nequit, ut cõiuncta cauſa ſit morborum, quocirca Galeno autore Antecedens coniuncta & per ſe cauſa morborum nequaquam erit. Stoici medici continentem quandam cauſam cenſuerunt eſſe, quæ extrinſecus contineret eſſentiam morborum. Galeno improbatur hæc cauſa, quæ cùm non ſit pars eſſentiæ, nihilominus extrinſecus ipſam contineat. Sed idcirco non inficiatur cauſam ἐμόγονον & coniunctam, quæ pars ſit eſſentiæ effectus, pertinentẽ ad definitionẽ ſeu demonſtrationẽ formæ effectus, quæ una eſt et præcipua ex quatuor generib. cauſarũ. Itaq; ſeparata hæc cùm non ſit à cauſa, quæ dicitur ſpecies ſeu Forma, non poteſt utiq; præcedere eam ut efficiens

Immediate ſequitur habitus motus, quatenus unum reſpectu alterius eſt deinceps ſeu ἐφεξῆς.

Stoicorũ continens quæ.

efficiens et ſubiectum, ſed ſimul eſt cum forma, ut ſi totam ſpeciem compoſitam conſideres, & non conferas inter ſe partes demonſtrationis ſeu definitionis, Anonymo facilè poßit cõcedi, nullam morborum coniunctam eſſe cauſam. Aut ſi quæ alia poſita fuerit, certum eſt eam nõ niſi Stoicã fore, cùm uidelicet nihil ſit, quod extrinſecus partes eſſentiæ rerum conuertat. Nihilominus tamẽ Galenus, in fientib. morbis, externam cauſam, nempe Antecedentem, ſe conſueſſe interdum appellare continentẽ morborum etiã fatetur, cùm alioqui per ſe nequaquam ſit continens, ut Stoicis uidebatur medicis, qui plethoras, inanitates, & ſimiles affectiones, morborum continentes appellabant, cùm abſolutè ſint duntaxat Antecedentes, ex hypotheſi autem & per accidens, nempe reſpectu ſcheticorum morborum, ſint interdum coniuncti. Teſtatur id Galenus in libro contra Iulianum: ſe non refugere ſcilicet, quo minus Antecedentem quoq; continentem appellet quiſpiam: nempe in morbis habentibus ὑπόθεσιν πληθωρικῶν, ὧν εἴτις κενώσῃ τὸ πλῆθος, αὐτίκα τὸ μόριον ἐπανέρχεται εἰς τὸ κατὰ φύσιν. *Veruntamen id nõ more Stoicorũ Galenus intelligi uoluit, cõtra quos diſputat: ſed ne moroſius quàm rectius à uocabulis abſtinere, quæ ueritati rerum nihil obeſſent*

Cauſa coniuncta ſimul eſt cum forma quia pars eſt definitionis formæ.

Secundũ Galenum ex hypotheſi, ſunt & dicuntur etiam Antecedentes cauſæ coniunctæ.

obeſſent, uideretur. Si ſequamur aduerſarij decreta, omnia nobis apparebunt confuſiſſima. Tantum enim abeſt ut Galenus συνεκτικὸν αἴτιον in permanētibus eſſe perneget, ut nullum æquè genus cauſæ conſiderandum præcipiat, quippe cùm illud nequaquā extra eſſentiam rerum reperiatur. Quæſo ubinam Galenus dicit, duntaxat motionum eſſe cauſam coniunctam? nónne ſpumæ etiam dicit eſſe? nónne ſymptomatum etiam permanentium, ſunt Coniunctæ cauſæ? Num quietis Terræ in medio uniuerſi, cauſa alia eſt continens quàm grauitas ipſius? Eorum quæ ſunt & non fiunt, plurimorū nos cum Galeno cauſas coniunctas agnoſcimus. Anonymus cum Democrito, tantùm eorum quæ fiunt & mouentur, cauſas eſſe ſomniat. Sed de his dictū ſuprà, redolent hæc tamen quæ contrà dicuntur, non mediocrem ignorantiam Analyticæ doctrinæ, quàm facilius ſit irridere philoſophaſtris noſtri temporis, quàm eius præcepta adhibere ad diſputationes: quæ non potius contumelijs & prætorijs quibuſdam edictis, quàm ingenua & philoſophica eruditione tractari atq; explicari debebāt. Doctiores cauſam Antecedentem reſpectu morbi definiunt δυνάμει, ſeu potentia, ſed coniunctam: reſpectu eiuſdem, definiunt actu. Antecedentem enim eſſe aiunt

Non tantùm motionis, ſed etiam eſſentię cauſam coniunctā ſecundum Galenū.

Antecedens rectè definitur

aiunt qua poßit eſſe morbus, non qua ſit, ſed coniunctā, qua ſit morbus, non autem qua fiat. Noſter ille Ariſtarchus *diſtinctionem hāc uituperat,* & Antecedentem *cum morbo, quatenus morbus ſit actu, eſſe coniunctam oſtendit, id eſt, morbum quatenus eſt, non quatenus fiat, habere contendit* Antecedentem. Ita *uerò metuit, ne inter* Antecedentem & *effectū, nempe morbum, ratione actus coniuncta quædam ſeſe inſinuet cauſa.* In multis *ſic differt potentia ab actu, ut ne ſubiecti quidem gratia potentia poſſit actu permutari, ut eſſe quorundā nihil aliud ſit, quàm poſſe eſſe.* Eſſe Infiniti *in* Quantitate *nihil aliud eſt, quàm poſſe diuidi, aut poſſe aggregari, non autem eſſe diuiſum, aut eſſe aggregatum.* Motu *item & priuatione, non eſſe aliquid, ſed poſſe eſſe dicimus.* Quòd *ſi motu* Antecedentis *cauſæ, aut præſentia morbus eſt, & non ſit, quando morbus, ſcilicet eſt, neceſſe erit cauſam* Antecedentem *eſſe: quandoquidem ratione actus morbum* Antecedat, *eiusq; cauſa dicatur eſſe, quia* SIT, *non quia* FIAT. Ac *rurſus, ſi eius per ſe quoq; ſit* Antecedens *cauſa, quid aliud quæſo erit* Antecedēs, *quàm cum morbi actu ex neceßitate coniuncta cauſa? Sed hæc ipſa nihil aliud eſt, quàm* Stoicorum Continens, *quam dum argumentis maximè demo-*

δυνάμει effectus, ut cōiuncta energeia effectus.

Inter potentiā & actū magna eſt differentia.

Aduerſarius ex Antecedēte rationibus ſuis efficit cō tinentem Stoicorum.

liri conatur aduerſarius, unus omnium maximè eam aſtruit, quod ſole (quem ipſe ſemper teſtatur) meridiano clarius eſt hactenus. Eat *igitur & palinodiam canat: ac non à cæcis, ſed à bene oculatis dictum teſtetur, non actus, ſed potentiæ ratione* Antecedentem *pro cauſa morborum numerandam: cōiunctam uerò eſſe, quæ non ad potentiam, ſed ad actum pertineat morbi.* Mouens *actu, cum eo quod mouetur, actu eſt coniunctum.* Id *uerò quod eſt motione effectum, nempe habitus, actu ſuo ſeparatum quiddam eſt: & ſeipſo, non adminiculo cauſæ* Antecedentis *ſubſiſtit.* Si *quam igitur cauſam habebit morbus, quoad eſt* Actu, *ea nō erit* An*tecedens, ſed coniuncta, qualis eſt nimirum putridus uapor, reſpectu putridæ febris.*

Hanc Galenus *cauſam* ποιοῦντα (ego ποιοῦσαν *ſcripſiſſem) hoc eſt efficientem, & fouentem morbū, perpetuò* προηγουμένην, *non autem* συνεκτικὴν *nominat, autore* Anonymo.

Fateor *ſanè* Galenum *proximas morborum & cōiunctas ſubinde appellare* Antecedentes, *tametſi cum actu morborum ſint conſociatæ: uerùm* ὁμωνύμως *aliquando utitur hoc uocabulo, quemadmodum etiam cauſæ, &* πάθος, *ac alijs quibuſdam uoculis, quæ nihilominus pro rerum ſignificatarū ratione eruditis ſunt diſtinguenda.*

Galenus coniunctas interdū uocat Antecedentes, ὁμωνύμως, ut ſuprà.

guenda. Ergo fuligo putrida, qua inceditur febris, & humor in obſtructione, erunt efficienter, non autem ſimpliciter Antecedentes cauſæ. Nam ſimpliciter Antecedens, uel ipſo autore Galeno, præcedit: non autē ſimul cum morbo eſſe poteſt. Cæterùm abſtinuit Galenus à uocabulo coniunctæ cauſæ, cùm de proximis cauſis morborum diſputaret: ueritus nimirum, ne Antecedens etiam pro coniuncta haberetur: ſiquidem rei, cui accidit coniunctæ eſſe cauſæ, eidem accidat etiam Antecedenti eſſe cauſæ, quum fallacia accidentis facile quiſpiam in errorem inducatur, ut quæ aliquo modo ſunt unum, pro ſimpliciter uno numerentur: ne ſcilicet antecedēs et cōiuncta, una putarentur et eadē, quas ſubinde Stoici medici maximo errore confundebant. Sed cauſa quæ non poteſt antecedere ſuum effectum, ut morbus reſpectu ſymptomatis, ea nunquam antecedens, ſed ſemper continens appellari conſueuit à Galeno. Antecedenti uerò, quia accidit aliquando ut ſit coniuncta, homonymia in cauſa eſt, ut uideatur Galenus in morbis nullam coniunctam ponere: quam poſuit tamē, dum humorem non ipſam obſtructionem, ſed cauſam ipſius eſſe dixit: et putridum uaporem, non ipſam febrim, ſed cauſam febris eſſe pronunciauit. Ve

Quare Galenus abſtinuerit in morbis explicādis uocabulo continentis cauſæ.

Galenus ſæpe uocabulo antecedētis cauſæ, coniunctā expreſsit.

rùm has non ſimpliciter Antecedentes, *ſed efficienter antecedentes interpretari debemus. Hæc ſi conſideraſſet Anonymus, coniunctam in morbis cauſam Galenum negare profectò nõ dixiſſet, quo fit ut exitum nullum reperire ſuarũ rationum & argumentorum poßit. Mitto nunc conuitia hominis, quibus inuehitur in Auicennam, quum putridum uaporem cauſam febris putridæ ait eſſe. Nam ſi reprehendere diſputare eſſet, facilimè & ſine controuerſia uinceret omnes Anonymus. Poſtea contra Valleriolam diſputans, qui ſentit idem quod Auicenna & Galenus de cauſa febris putridæ, negat acceßionem ſeu paroxyſmum morbum eſſe, ſed pro Pathemate numerat, quia uidelicet cum motu ſit iunctus paroxyſmus, & non permanens quiddam. Si quis Pathematis conſideret definitionem, putridæ febris paroxyſmus nequaquam erit Pathema. Quoniam motus paroxyſmi putridæ non eſt talis, ut ratione ipſius, ex adumbrato quodammodo & leuiter impreſſo affectu, fiat confirmatus et permanens, ſed ipſe per ſe affectus eſt & morbus, cui tales alterationes ratiõe paroxyſmi inſunt, nec alicui facto et permanẽti morbo opponitur, ut pathema ſolet opponi. Quòd ſi paroxyſmi qui ſunt in putrida, partes non ſunt morbi, ſed pathematis, dic quæ*

ſo, qua-

Defenſio Valleriolæ.

Anonymus paroxyſmum dicit eſſe pathema & nõ morbum.

Paroxyſmum non eſſe pathema.

ſo, quánam ratione in genere morborum contineatur febris putrida? Quãquam nuſquam reperitur Galenus febrim hanc appellaſſe pathema, ſed ubiq; morbum eam nominat. Nec moueor alterationibus his, ut pathema potius quàm morbum appellem. Nam ſi alterationibus tantùm finiantur pathemata, tum ferè nullus erit morbus, cùm propémodum omnes initia ſtatus, & incrementa habeant, quæ in morbis diſtingui ſine alterationibus nequeunt. Febris itaq; putrida cùm ſit morbus, & res permanens, cauſamq́; eſſentia ipſius habeat, neceſſe erit, ut hanc Cõtinentem eſſe fateatur Anonymus, ſiquidem ſuis hypotheſibus & προλεγομένοις fidem derogare nolit. Idem mox ſequente argumento, quod præcedente affirmarat, inficiatur. Prius enim dixerat, in putridis febribus cauſa ſublata, nempe putredine exhalante, ſimul tolli quoq; febrim ipſam. Sic autẽ ſcribit:

Putredinis fuligo cauſa eſt continens putridæ.

Quid mirum ſi ſoluto uacuatoq; humore illo & ipſa unà confeſtim ſoluatur febris?

Pòſt paulò ſic ſcribit:

An non luce meridiana clarius ex his Galeni uerbis patet, febrim etiam quæ non tota facta ſit, & cuius cauſa etiamnum agit, cauſa continente carere?

Affert autem eo loco teſtimonium Galeni de fe

bre putrida: cuius cauſa, nempe putredine ſublata (ſic enim interpretatur Anonymus) *nihilominus intemperies calida remaneat, quæ refrigerationem duntaxat deſideret.* Quòd *ſi morbus eſt permanens: febris hæc, quomodo nihilominus erit* πάθημα, *cùm pathema (autore* Anonymo) *morbus non ſit?* Ex *quo euidens eſt, falſa non modò repugnare ueris, ſed ipſa quoq; inter ſe diſsidere falſa: nec minus inter ſe quiſquã cohærere, quàm quæ falſis hypotheſibus ſunt extructa.* Nibilominus *illi diſputatores ſophiſtici, tanquam ſepia quædam occultant ſeſe atramento paralogiſmorum, eisq; ut latere poſsint, plurimũ opitulantur ueriſimilitudo quædam,* καὶ μακρὸς σιμωνίδου λόγος, *ut cùm nihil dicant, nihilominus dicere aliquid uideantur.* Deinde

Folio 71. *argumento proximè ſequenti, quod affert* Valleriola *ex libro* Galeni *de cauſis procatarcticis contra* Eraſiſtratios, *non ſatisfacit* Anonymus Valleriolæ. *Siquidem certum eſt, eo in loco* Galenum *fateri & concedere* Eraſiſtrato *proximam & coniunctam morborum cauſam, ſed uituperare nihilominus* Eraſiſtratios, *qui ſolam hanc reſpiciant. Antecedentis autem nullam rationem habeant, quæ & ipſa medico etiã*

Dioſcori. lib. 6. cap. 34. *ſit conſideranda.* Alioqui *futurum, ut quiuis* Eraſiſtratius *poſsit parricidium* Oreſtis *excuſa-*

re;

re: ſed fore nemině, qui tali cauſarū hypotheſi poßit accuſare. Nam ſi nulla ſit προκαταρκτικὴ *cauſa, aut unā fore dūtaxat, nēpe proximā, aut infinitas. Si unica ſit patricidij cauſa, nēpe proxima (quæ nimirū eſt profuſio ſanguinis ex uenis) ſi ſola hæc erit cauſa, Oreſtes nimirū cauſa non erit, quoniā idē nō ſunt profuſio cruoris et Oreſtes. Iam ſi infinitè perſequaris cauſas quæ anteceſſerūt, ipſam ſuæ cædis cauſam Clytēneſtrā oportebit dicere. Per accidēs enim cauſarū ordo ad Clytemneſtrā retexetur. Enſem mouit manus, ſed manum Oreſtes, cuius mater cauſa fuit, qa progenuit. Quæ cùm ſint abſurda, neq; unā tantùm, nempe proximā, neq; antecedētes infinitas, ſed procatarcticas et Antecedētes certas & finitas conſiderare in cauſis debemus: ut liquet hoc argumento, quo contra Eraſiſtratios utitur Galenus, probans morborum per ſe effectrices quoq; eſſe procatarcticas. Tumores qui pendent & nectuntur ex Antecedente plenitudine humorum, quomodo uacuatis ipſis tumores quoq; euaneſcant, & ſimul deſinant, pro eo (ut contra Iulianum diſputanti Galeno uidetur) non ſatis explicat Valleriola: idipſum uerò tanquā minus conſentaneū, omnino negare uidetur Anonymus. Quaſi uerò tumor non diſcutiatur interdum cauſa Antecedente uacua*

Eraſiſtratus agnoſcit tantum cauſam coniunctā, reliquas non reſpicit.

Fol. 85.

ta, qui ſuapte natura aliquando, non uacuatis etiam corporibus, diſpareat, ualidioribus particulis materiam introrſum propellentibus. De *quo genere euaneſcentium tumorum loquitur* Hippocrates, *ut in* Prognoſticis *ad hunc modũ ſcribens:* ἢν ἀφανίζωνται, καὶ παλινδρομέωσι αἱ ἀποστάσιες. Et *illic in* Commento Galenus, *& præterea in commento primo libri primi* Prorhet. ὅσα φύματα καὶ ἐξανθήματα παλινδρομῆ, χαλεπώτατα. *Quòd ſi regurgitant humores non purgato corpore, quanto magis uacuato retrocedent humores quibus apoſtemata fuerint excitata?* Q*uid quod* λεῦκας *etiam incipientes commẽt.* 16. *primi* Prorhet. *purgatione uitioſi humoris ſtatim deſinere teſtatur, dum uidelicet non ſint confirmatæ.* P*oſtea ſequitur locus ille* Galeni *ex libro primo de* Cauſis *pulſuum, quo tribuit principatũ* Galenus *continenti cauſæ, quam præcipuè in rebus omnibus conſiderandam præcipit.* Hanc *cauſam duntaxat reſpectu effectuum deſcribi (qui ſint motus quidam)* Anonymus *cum* Vallgriola *falſò cenſent, quaſi permanẽtium cauſam coniunctam non reſpexerit hoc loco* Galenus: *quod mihi non uidetur eſſe conſentaneum.* Etenim *conſiderandam illam non modò in pulſibus præcipit, ſed etiam in quibuſuis effectibus, & rebus alijs,* quas

Sublata antecedente cauſa, aliquando etiam ſimul effectus tolli.

Galenus lib. 1. de cauſis pulſuum, ab initio.

quas demonſtrari ſuis cauſis ſit neceſſe, quum per Antecedentes ſcilicet nullus demonſtrari poßit effectus: ut ex Poſterioribus liquet Analyticis, & de his quidem dictum fuit in præcedentibus. Quamobrem perperàm interpretantur Galenum, quoniã συνεκτικὸν αἴτιον non adſtringit ad cauſas motus duntaxat, ſed ſine exceptione iubet eam conſiderare ubicunq; ſit in omnibus. Quæ ſint illa omnia, in quibus coniuncta ſit cauſa, demonſtratum eſt ſuperius: & alio modo demonſtratum, quàm quiſquam hactenus iſta explicuerit, quem ego modum, fundamentum huius diſputationis perplexæ eſſe arbitror. Multo abſurdius ſententiam hanc Galeni Curtius eſt interpretatus, qui continentis cauſæ rationem pertinere tantùm ad motus naturales cenſet, & in his duntaxat omnibus contemplandam hãc eſſe præcepiſſe Galenum. Sed ſtultum eſt curare, quid quiſq; ſentiat aut dicat. Idcirco omnibus omnium dictis reſpondendo occurrere nolo. Infinitũ enim eſſet quorumuis perſequi nænias, re & ueritate huius diſputationis ſatis percepta. Accedo nunc ad locum illum, quo Valleriola probare conatur, æruginem, quam uomuerit adoleſcens, de quo ſcriptum ſit in Galeno Cõment. 1. Sectio. 5. Apho. fuiſſe cauſam continentem. Quia ſimul ut re-

Abſurda interpretatio Galeni.

Alius locus Galeni.

iecta ſit uomitu ærugo, mox conualuiſſe adoleſcentem. At fieri id nequibat, niſi ſublatà cauſa, morbus etiam deſiiſſet. Morbus fuit, ſoluta unitas, item febris. Ambæ fuerunt excitatæ aceri & calido humore, obſidente & occupante os uentriculi. Affectus illi fuerunt in ore uentriculi, nempe eroſio, & multa caliditas. Poſtea ſymptomaticè ſecuta ſunt reliqua, ſpaſmus ſcilicet & febris. Reſpondet Anonymus, *ſpaſmum & febrim ſymptomata fuiſſe.* Deinde *fatetur continui ſolutionem, & ardorem, tanquã morbos, cauſam fuiſſe horum ſymptomatum. Tertiò, cauſam iſtorum affectuum fuiſſe humorem æruginoſum.* Quare *concludat neceſſe eſt, æruginem fuiſſe cauſam continentem horum morborum (quod minimè tamen uult) nempe ſolutæ unitatis & caloris.* Reſpondet, *fuiſſe continentem cauſam pathematis, æruginoſum humorem, doloris uidelicet ſeu mordicationis ſenſus; non autem ſolutæ unitatis, quæ remanſerit etiam excreto per uomitum æruginoſo humore.* Fatetur *ergo morbum eſſe ſolutionem hanc unitatis, ſed negat eius fuiſſe cauſam continentem, quia non ſimul deſierit ſublata cauſa.* Nos *uerò ſimul deſiiſſe affectum & cauſam, non tantùm ſymptomata, nũc demonſtrabimus.* Ipſo Anonymo concedente, *morbus omnino*

Fol. 105.

Ponit hoc loco Anonymus cauſam & non morbum effectricem ſymptomatum, quod eſt contra Galenum.

omnino cauſa eſt continens ſymptomatum, & cauſa etiam morbi ipſa per ſe, licet coniunctiſſima, tamen ſymptomata abſq; interuentu morbi non creat. Qua fronte igitur audet Anonymus dicere, cum remotione æruginis & uomitu deſiiſſe quidē ſymptoma, morbo nihilominus, nempe ſoluta unitate, permanente: quum idem perpetuò clamet, Morbum cauſam eſſe continentem ſymptomatum? Quare ſublatis illis, morbum quoq; deſiiſſe neceſſe eſt. In huius igitur adoleſcētis affectu, ſimul hæc tria deſierint oportet. Nam ſi morbus relictus fuiſſet, ſoluta ſcilicet unitas proprio ſymptomate nequaquā caruiſſet, cùm ſenſus doloris non acrimoniam humorum per ſe, ſed ſolutionem unitatis oris uentriculi ſit ſubſecuta. Tam ſibi non conſtat Anonymus, ut hoc loco morbum ſymptomatis etiam cauſam coniunctam neget, ne ſit ei neceſſarium cauſam continentem morbi fateri. Hanc inconſtātiam ſi deprehendiſſet in alio quopiā, Deum immortalem quàm exagitaſſet eam tragicè: quid non exprobraſſet? quam nos indicatam ei duntaxat uolumus, non cōtumelioſè obiectā, ut deinceps quæ uera ſunt, nobiſcū defendat, & nō tam pertinaciter ſuo inſiſtat errori, quem nulla ratione hactenus poteſt defendere, quantumuis futilibus argumentis tergiuerſari

& fucum

& fucum facere conetur indoctioribus. Nos *laboraſſe adoleſcentē illum dicimus morbo fiente, nempe pathemate quodam, quod ipſum interpretamur, affectam ſolutionem unitatis in ore uentriculi non perfectam, ac ſublata cauſa ſimul ipſum quoq; cum ſymptomatib. deſijſſe.* Anonymus *pathema fuiſſe non concedet, propterea quòd ipſum carere ſymptomate arbitratur. Solum enim morbum, nempe permanentē affectū, ſymptoma habere cenſet.* Duas *enim ſpecies fientiū morborum duntaxat deſcribit.* Vnam, *quā nondum exiſtens generat, & nihil habet facti morbi, quam ſubinde nominat pathema.* Alteram, *cuius pars facta ſit quædam, deinde per motum augeſcens fiat maior.* Eius *ſublata cauſa, negat ſimul etiam, quod factum ſit, tolli.* At Galenus, *præter has duas ſpecies, numerat etiam in fientibus affectibus habentem grauiſsima ſymptomata, cuius cauſa ſublata, ſimul quoq; morbus tenuiter impreſſus, unà cum ſuis ſymptomatibus euaneſcat: qualium morborum aliâs exempla poſuimus, huiusq; ſpeciei affectus præſens, adoleſcentis paulò antè commemorati, fuit.* Deinceps *bonum et eruditū* Valleriolam *reprehendit* Anonymus, *quia ſanguinem in phlegmone dixerit cauſam, & non ipſam phlegmonē.* Quis *neſcit* Anonyme, διάθεσιν, *ſeu*

πάθημα negat Anonymus habere ſymptoma.

Fientis morbi triplex ratio uſurpatur à Galeno.

σιν, ſeu πάθος quodam eſſe phlegmonen, cuius ſubiectum ſit corpus ſanguineũ: ſanguinẽ autẽ ſubſtantiã quandã eſſe & partem phlegmones, nõ autẽ ipſam totam? Quis tam ignarus Dialecticæ, qui planè idem dicat ſubſtantiam & accidẽs, partem et totum? Tantũ abeſt profectò, ut ſanguis ſit ipſa phlegmone, ut eius ne ſubiectũ quidem eſſe poßit: quandoquidem nõ ſanguis, ſed ſanguine præditum corpus ſubijciatur tumori, qui phlegmone appellatur. Itaq; ſi neque forma phlegmones ſit ipſe ſanguis, neq; etiam eius ſubiectum primum, ex neceßitate ſequitur, ut cauſa ſit, quã (ut liquet è ſuperiorib. dictis) neceſſe eſt continentem eſſe. Quinetiã Galenus in libro de Optima ſecta, contra Methodicos diſſerens, quàm accuratè docet, non affectus, ſed cauſas affectuũ, remedia indicare. Vt uerbi gratia, phlegmones cauſam, nempe ſanguinem in particula impactum, indicare ſui ablationẽ, ſeu remotionem per remedia, non autem πάθος ipſum hac cauſa ſubſiſtens. Atqui ſanguis ille antecedens cauſa non eſt, ſed coniuncta cum diatheſi inflammationis. Idem ſentiendum, inquit, in curatione putridarum febrium. Quod ipſum quoq; teſtatur libro 5. κατὰ τόπους, quando humorem impactum in angina non phlegmonen, ſed cauſam coniunctam phlegmones appel-

Sanguis impactus eſt pars phlegmones, non ipſa.

appellat, ad hunc ſcribens modum, ὁπόταν δὲ διαφορεῖσθαι χρὴ τὸ σφηνωθὲν τε τὴν φλεγμονὴν ἐργαζόμενον χυμόν. Id eſt, quando oportet humorem, impactum & conſtituentem ipſam phlegmonen, diſcutere. Apparet ergo, mentē Galeni nō ſatis aſſequi hominem illum, qui ſanguinem nihil aliud quàm phlegmonen ipſam eſſe pronunciat. Tantum effecit Anonymus ſuis abſurdis hypotheſibus, ut neceſſe ei fuerit genus morbi, nempe διάθεσιν, permutare in ſubſtantiam: ſic mordicus θέσιν ἑαυτοῦ φυλάττει, ut ordines ſummorum generum perturbare malit, & principia rationum & diſputationum omnium conuellere & negare, quàm uel latū (ut dicitur) unguem à concepto ſemel errore diſcedere. An non palàm Anonyme, in libro περὶ τῶν νόσων διαφορῶν, Galenus affirmat, morbos non eſſe corpora, ſed accidentia? Sed tibi nouo Galeno non uidetur idem: qui tamen ueterem Galenum, etiam ultra aras, putas non deſerendum. Verum ergo eſt, quod Ariſtoteles noſter (quem ego maximi, tu pro tua ſapientia minimi facis) alicubi de falſis diſputationum principijs dixit: τὸ μικρὸν παραβῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισταμένοις, γίνεται πόῤῥω μυριοπλάσιον. Equidem ignoſcendum tibi erat propoſitum abſurdum defendenti, niſi ſubinde pugnantia inter ſe ſcriberes, & ni Galeni ſen-

ni ſententias pro te citares, quæ maximè tamen contra teipſum faciunt. Quandò Galenum teſtem citat, cuius teſtimonio docere uult, ſanguinem eſſe ipſam phlegmonem: eius, ſi quis ritè uerba perpendat, non cum ipſo, ſed contra ipſum facere teſtimonium illud comperiet. Sic ſcribit Galenus: ὅταν ἐις ἀλλότι τὸ αἷμα κατασκήψῃ μόριον, ὄγκον ἐν τούτῳ παρὰ φύσιν ἐργάζεται. *Facit, inquit, ſanguis tumorem calidum & durum. Si ſanguis eſſet phlegmone ipſa, tum non faceret tumorem. Nihil enim ſeipſum poteſt facere. Ex his omnibus perſpicitur, ſanguinem, cùm non ſit ipſa phlegmone, fore ſcilicet eius cauſam, & quidem coniunctam: quod contra Anonymum demonſtrandum fuit. Eadem eſt interpretatio ſequentium teſtimoniorum, quæ nobis aſtipulantur, & Anonymi ſententiam falſam & ridiculam eſſe declarant: ea ne ſim longior, perſequi nolo. Simili errore hallucinans paulò poſt dicit, impactos humores eſſe ipſam obſtructionem. Quòd ſi differunt, & obſtructio ſit effectus et* πάθος *quoddã, benè intelligit Anonymus futurũ, ut humor obſtruens ſit cauſa, & ea quidem cum effectu, nempe obſtructione coniuncta. Obſecro, quis unquam obſtructionem, id eſt* πάθος *corporis tranſmittentis aliquid, dixit eſſe idipſum quo crearetur? Nam*

Impacti humores, non ſunt ipſa obſtructio.

ſi humor

turpiter impingant, dum obſtructionem de Galeni ſententia, qualitatem eſſe dicunt, cùm omnibus conſtet qualitatem, alterantia, non detergentia, ut obſtructionem, requirere.

Subinde quàm intelligens Philoſophiæ & Dialecticæ ſit, deprehenditur: quum uidelicet ſuam ſententiam rationibus & teſtimonijs non conſentaneis tueri uult. Morbus ſi qualitas eſt, alterantia requirit, & non detergentia. Sed obſtructio detergentia exigit, non autem alterantia: quaobrem morbus hic qualitas nõ erit, ſed ſubſtantia, adeoq; obſtructio nihil aliud quàm craſſus erit humor. Si peritus philoſophiæ eſſet Anonymus, facilè cum ipſo tranſigerẽ: ac primùm dicerẽ, morbũ non eſſe ex numero qualitatum illarũ, quarũ cauſa per ſe & primò corpus dicitur alterari. Has tertia ſpecie qualitatis complexus eſt Ariſtoteles, & patibiles nominat, quarum cauſa corpora dicantur ſubiecta alterationis motioni. Sed idem in ſeptimo Phyſicôn demonſtrat, per ſe & primò ſecundũ habitus (ut ſecundum ſanitatem & morbum) nihil moueri: quare, ne alterari quidem. Quocirca non ſequitur, ſi morbus omnis eſt qualitas, ergò ſecundum quemlibet morbum corpus alterabitur. Quoniam non ſecundum quamlibet qualitatem corpus eſt alterabile. Nam ſecundũ

Morbus non eſt qualitas patibilis, id eſt, alterabilis.

Corpus non eſt alterabile

ſecūdum ſanitatem aut morbum.

habitus, item ſecundum figuras, corpora per ſe non ſunt alterabilia. Habitus enim & figuræ ſunt fines & termini motionum, acquiſitæ nimirum per motum perfectiones quædam, quibus res ſunt, non autem per ſe fieri & generari dicuntur. Non ergo ipſe per ſe morbus aliquis alteratur, ſed corpus propter patibilem qualitatem tantiſper contrariò alteratur, uſque dum, in extremo huius alterationis, pro morbo (qui eſt habitus) reponatur ſanitas, contrarius morbo habitus. Alioqui ſi talis quædã ſanitas nihil aliud ſit, quàm caliditas ipſa (uerbi gratia) quàm primum caliditas hæc alterari cœperit, ut aliqua ex parte frigoris, ita quoq; morbi particeps erit: quod ipſum quid aliud eſt, quàm ἀσπάθιαν aſſerere, & negare habitum? Quod facit in præſentia Anonymus, quando corpus per ſe, cuiuſdam morbi gratia, cenſet alterationi obnoxium. Ergo propter nullum morbum corpus per ſe erit alterabile: pluſq; tribuo noſtro nũc me herclè, quàm poſtulet, aduerſario: ſed ob id non ſequitur tamen, ut morbus aliquis ſit ſubſtantia. Nam omnes ego dico contineri prima ſpecie qualitatis, quæ comprehendit ἕξιν & διάθεσιν. Ex quo genere, non niſi ſubdolis & ſophiſticis rationibus morbum in alia quædam genera, tanquam in colonias quaſdã poſſit

Argumentum quo oſtēditur morbum non eſſe qualitatē alterabilem.

Omnes morbi ſunt habitus uel diatheſes, nempe ſub prima ſpecie qualitatis.

ſit

ſit traducere quiſpiã. Etenim habitus morborũ & acquiruntur & deponuntur motibus earum formarũ, ſecundũ quas motum per ſe rebus ineſſe probat Ariſtoteles in quinto lib. ἀκροαμάτων. Vt uerbi gratia, in morbis ſimilaribus fiũt acquiſitiones & abolitiones morborũ ſeu habituũ, propter qualitates patibiles. Morbi inſtrumentales, propter incrementum, aut decrementum magnitudinis. Alij quidam propter materiam motã in loco, unde oboriuntur morbi in numero, in figura, in conformatione. Ob id ipſum tamẽ morbus neq; in ſubſtãtia eſt, neq; in tertia ſpecie qualitatis, neq; in prædicamento quantitatis, neque in genere Vbi, ſed omnes ſunt διαθέσεις, & in prima ſpecie (ut dictũ eſt) qualitatis, collocantur: quod ipſum inferiùs etiam demonſtrabo. Interim admoneo, ne quis miretur, tam uariorum generum uoculis definiri morbos: ut nihilominus omnes ſint unius generis ſpecies, quantumuis partes definitionis redolere uideantur diuerſorum generum res & uocabula. Nam fieri id poſſe & ſolere, oſtendimus in Commentarijs noſtris in ſextum Topicorum Ariſtotelis, quæ repetere in præſentia non eſt opus, ne plura ſint πάρεργα quàm ἔργα, in hac diſputatione propoſita. Simile huic argumentum eſt quod ſequitur:

Curatio debetur morbo. Quod ſi obſtructio non ſit ipſe humor obſtruens, iam non ad affectum, ſed ad cauſam transferetur curatio: quod Galeni decretis non eſt conſentaneum.

Curationibus adhibetur ratione cauſarum.

Suprà quidem oſtēſum eſt, quo pacto curationem interdū Galenus adſcribat morbis, propter cauſas, quibus ſublatis, ipſi quoq; deſinant morbi. Fatemur, ad ipſos per ſe morbos adhiberi curationes, quibus profligātur, quēadmodū ad cauſas προφυλακὴν, ne ſcilicet fiant. Sed cauſæ illæ coniunctæ ſunt morbis, quibus ſublatis eſſentia tollitur morbi, quoniā (ut diximus) ſunt pars totius eſſentiæ. Proinde pars nulla eſſentiæ eſt: qua perempta & ſublata, non ſit neceſſe totam etiā perimi & aboleri: quādo quidem, autore Ariſtotele, ſit quælibet eſſentia ut numerus, quæ ubicunq; eſt, aut tota, aut nulla eſt. Quocirca ut parte abolita nempe unitate, tota ſpecies numeri perit per ſe & ſimpliciter, ſic parte eſſentiæ morbi, nempe cauſa abolita, tota ſpecies morbi ſimpliciter deſinit: ut hoc in genere nihil referat, ſiue dixerit quiſpiam, primò totum morbum curatione tolli, ſiue partem & cauſam ipſius primò profligari ſtatuat: quæ ratio ualet etiam in comparatione ſymptomatis & morbi, quoniam pars eſſentiæ ſymptomatis eſt morbus, nequit enim definiri ſymptoma ſine

ma ſine morbo, ut morbi quidam non poſſunt definiri ſine cauſa coniuncta. Pòſt ſequitur argumentum illud quartum:

Quicquid primò impedit actionem, id morbus eſt ſcilicet. Sed humores craßi impediunt actionem (impediunt enim tranſitũ ex uno in aliud) quare morbus erunt. Alioqui Galenum ſibijpſi non dicturum conſentanea.

Reſpondemus, humorem craſſum à Galeno nuſquam dici morbum, ſed cauſam morbi: nec ipſum primò ſymptoma impeditæ tranſitionis creare, ſed obſtructionem cuius humor ille cauſa ſit proxima. Sic loqui Galenum ſuprà oſtendimus. Etenim ſi ipſe per ſe & primò humor craſſus fuerit morbus, neceſſe eſt, ubicunque & quantuluſcunq; fuerit, pro morbo ipſum haberi. Quippe eodem autore, quicquid ſpecie ſuæ eſſentiæ morbus eſt, ſub qualibet magnitudine & quantitate eius eadem erit Idea: ut minima phlegmone non minus eſt morbus, quàm quæ quantitate fuerit maxima. Quòd ſi ipſe per ſe humor eſt morbus, quid ni quiuis exilißimus pro morbo habeatur; quod ipſum quid aliud eſt, quàm contra Galeni ſententiam ἀςπάθειαν *introducere? Eat igitur & neget cauſam cõiunctam aduerſarius, qua ſublata tot Galeni dogmata & ſententias ſubuerti oportebit,*

Humor craſſus non primo impedit tranſitum, ſed id facit mediante obſtructione.

Galenus lib. 1. de locis affectis.

pro cuius tamen decretis, tanquam pro aris & focis aduerſarius noſter depugnare ſolet. Multis præterea paralogiſmis probare & perſuadere conatur alijs, obſtruentem ſcilicet humorem nihil aliud eſſe, quàm ipſam obſtructionē, nec ferè alio in loco manifeſtius deprehenditur. Quòd ſi obſtructio eſt impedita cauitas, haud dubiè, ut humor nequit dici impedita cauitas, ita nec obſtructio poterit appellari. Sed Anonymus negat, impeditam cauitatem eſſe obſtructionem, quin potius impeditā cauitatem dicit eſſe ſymptoma obſtructionis, per metalepſin aſtutè interpretans impeditam cauitatem pro impedimento trāſitionis. Ergo humor ipſe, qui obſtruit, morbus erit. Impedita autē cauitas nō erit obſtructio, id eſt, morbus, ſed erit priuatio tranſitionis, ſymptoma nimirum humoris obſtruentis. Quum obſtructio ſit morbus in genere conformationis non naturalis, quæſo quā fronte audet ei ſubijcere humorem, cuius figura nulla eſt aut conformatio, ut ei poßit ineſſe uitioſa conformatio, nedùm ſit ipſa conformatio uitioſa? cùm quatenus etiam ſubſtantia eſt humor, in ſubiecto nullo eſſe poßit, morbus autem omnis per ſe ſit in ſubiecto, quæ uel pueris nota ſunt, qui Dialecticæ rudimenta parūper delibarunt. Ex quo eſt euidens, futiles eſſe metalepſis

talepſis

taleps̃is illas Anonymi, *quibus conatur ex morbo facere ſymptoma, & ex cauſa morbum: quo præſertim teſtatum facit, ſe differētiam, in hoc genere morborum & ſymptomatum & cauſarum, ignorare.* Dum *hæc omnia pro ſua libidine miſcet & confundit, quò fidem faciat dictis ſuis, Galenũ in* Therapeutica Methodo *teſtem allegat, quo conatur probare, cauitatem impeditam non eſſe morbum, ſed ſymptoma.* At *parum religioſè teſtimonio utitur, parumq; conſentaneè ipſius* Galeni *ſcripta interpretatur.* Recitemus *uerba, quibus nõ obeſa naris lector facilè animaduertet, implicari in his dictis falſa & contradicentia.* Fol. 132.

Proinde cauitas impedita, non eſt obſtructio, ſiue morbus, ut tu cenſes: ſed id potius quod morbo accidit, adeoq; ſymptoma. Vt *enim figura & magnitudo,* Galeno *etiam libro 3* Therap. Methodi *cap. 10. autore, ex eorum numero ſunt, quæ affectibus corporis unde actio naſcitur, neceſſariò accidunt, ita etiam cauitas.* Non procul à fine libri.

Sapiēter dictũ à Platone *eſt,* Sophiſtã *ζῶον εἶναι δυσθήρατον, ut qui ſemper effugia quærat, et tenebras, quib. ſe occultet.* Si *magnitudo, figura, cauitas itē, cõtra naturã ſũt ſymptomata, quod nam morbi genus erit quæſo, quorum reſpectu*

dicãtur ſymptomata? Si dicas, intemperiẽ crea re talia ſymptomata, neceſſe erit ut nulla ſit intemperies, quin uitioſa magnitudo aut figura ſequatur. Sed multæ ſunt intemperies, quibus in nullo horum generum conſtitutio contra naturam ſit adiuncta. Quamobrem *his, paulò antè commemoratis, accidet, ut aliquando ſint ſymptomata, & per ſe quidem morbos eſſe oportebit, & nequaquam ſymptomata: niſi Galenus in* Methodo *retrãctet, quæ dixit aliâs, & ſcripſit in libris de* Morborum *& ſymptomatum differentijs.* Tu *igitur, qui alios accuſas, quòd ignorent morborum & ſymptomatum diſcrimen, unus omnium maximè id ignoras.* Quin *etiam* Galenum *falſa interpretatione peruertis, cuius ſententiam ego nunc explanabo; ut intelligas, locum illum non tuæ, ſed meæ ſententiæ potius ſuffragari.* De *uulnerum differentijs hoc loco diſputans quærit* Galenus, *quænã differentiæ conſtituant, cum generibus iunctæ, ſpecies generis, quandoquidem non omnis differentia generi addita conſtituit ſpeciem.* Docet *igitur* Galenus *quænam ſint* εἰδικὰς *differentiæ, hoc modo: Si quæ differentia ſit, ut ipſa per ſe & ſeparatim morbi ſpeciem ſignificet, eam nec differentiã generis fore, nec conſtituturam etiam ſpeciem.* Vt *phlegmone, differentia*

Falſa interpretatio textus Galeni, reprehenditur.

tia non eſt uulneris, nec gangrena: quoniam ſeparatim utraq; ſpecies eſt morbi, ac ſine uulnere aut hulcere poteſt eſſe. Sed magnitudo, figura, cauitas, ſunt quibus differunt inter ſe hulcera, quia per ſeſe ac ſeparatim tria hæc morbi non ſunt, ſed, generi morbi addita, ſpecies morborum conſtituũt, quoad nimirum illæ ſpecies, cauſa indicationis ſeu curationis, inter ſe differunt. Cæterum accidentia quædam hæc ſunt, propterea quòd in morbis rationem habeant morborum: ſed ſeparatim & per ſe, morborũ appellationem non ſortiantur. Nam nõ per ſe aliquid eſſe, eſt accidens eſſe. Galenus cauitatẽ, quatenus ſit differentia hulceris, dicit eſſe συμ-βεβηκὸς, id eſt accidens (quo ſanè modo dicimus etiam differentiam accidere generi, quia participet, non autem participetur à genere) ſed non dixit eſſe ſymptoma, ut perfricta fronte aſſeuerauit Anonymus. Non enim multò pòſt Galenus, quæ ſymptomata ſint hulcerum, planum facit. Multum igitur intereſt inter accidentia, & differentias, & ſymptomata, tum hulcerum, tum morborum: quæ hoc loco qualia eſſent, & quodnam horum diſcrimen, explanare uoluit Galenus. Liquet igitur, cauitatem impeditam, à Galeno non dici ſymptoma. Perſpicuum eſt etiam, falſa & aliena interpretatione

locum hunc Galeni ab Anonymo fuiſſe deprauatum & corruptum: de quibus non poſſum quin lectores admoneā, ne cuiuis temerè quidpiā aſſerenti, fidē (re nondū perſpecta diligenter) habeant. Quid ergo eſt impedita cauitas, quā ſymptoma obſtructionis eſſe fingit Anonymus? Reſpondebo ego, aliud nihil eſſe, quàm λόγον ἐννοηματικὸν, ut Galenus nominat, obſtructionis: uel ut Ariſtoteles appellat, λόγον ὀνοματώδη. Ei ſi fuerit addita cauſa cōiuncta, tum cōſtituetur λόγος οὐσιώδης, ut hoc modo: Obſtructio eſt impedita cauitas proueniēs à craſſis humoribus. Tonitru λόγος ὀνοματώδης eſt, quo dicitur ſonus in nubibus: ſed οὐσιώδης eſt ſonus in nubibus excitatus eruptione ignis. Differentia hæc finitionum non ab Ariſtotele tantùm eſt tradita, ſed eadem tractatur etiam dilucidiſsimè & copioſiſsime à Galeno lib. 4. de Differētijs pulſuū: quā longius in præſentia perſequi nolo. Satis enim eſt, de his duntaxat monere ſtudioſos artis Medicæ, ne aut negligant, aut cōtemnant, quæ traduntur in philoſophia: quā omnino remouet à Medicina ſua noſter aduerſarius: ut mirum non ſit, ſine lumine hoc incedentem, toties ipſum & tam grauiter impingere. Reſponſum ſemel eſſe uolo, ratione & ſolutione hac argumenti, ſimilibus reli-

Impedita cauitas eſt deſinitio quid nominis obſtructionis, & nequaquam eſt ſymptoma obſtructionis. Nam impeditus tranſitus, eſt ipſius ſymptoma.

reliquis Anonymi argumentis, quibus cauſam & effectum pro eodem numerat: quippe qui tumorem etiam ſacci turgentis pecunia, ipſam pecuniā diſtendentem auſit dicere: quod facilè quiuis Mercator aut Ruſticus, ſi audiat, irriſerit. Non multò pòſt fatetur, humorē quoad ſit antecedens cauſa & effectrix obſtructionis, eatenus eam diſcrepare ab effectu, nempe ab obſtructione. Sed quoad pars ſit obſtructionis idem humor, negat ipſum habere rationē continentis cauſæ: ſed dicit, omnino ipſum eſſe totum effectum, nempe ipſam obſtructionem. Suprà docuimus, huiuſmodi πάθυ *partē habere ſuæ finitionis cauſam continentem: quod tamen ipſum Anonymus hactenus ita negat uerum, ut quod maximè probandū erat (ſi quidem id cardo ſit totius controuerſiæ) id tanquam notiſſimum & certiſſimum nullo putarit argumento refellendum. Tantum ſibi credi poſtulat, et quaſi tyrannus quidam, ſuorum paralogiſmorum hypotheſes & decreta quædam ſanciens, ſubinde quod probandum erat, ſtrenuè duntaxat inculcat, & tanquam minimè dubium, omni contentione uerborum aſſeuerat. Rurſus inuadit Vallerіolam, probantem exemplo febrium putridarum eſſe cauſam continentem. Putreſcentem humorem non eſ-* Fol. 143.

Aliud argumentum.

ſe mor-

ſe morbum, ipſemet fatetur Anonymus. Ergo cauſa eſt febris: quandiu uidelicet paroxyſmus durarit. Motum febris, πάθημα, non morbum dicit eſſe aduerſarius, ut ſuprà eſt oſtenſum. At in præſentia neſcio, quod numė Vertumni perſuaſit ei, ut febrim tertianam morbum eſſe diceret, nec eius tamen continentem aliquam eſſe cauſam: paroxyſmos autem ipſius morbum eſſe negaret, quum extra paroxyſmos tamen febris putridæ ratio ſit nulla. Quòd ſi omnes paroxyſmi ſunt παθήματα, quid ni tota quoq; febris conſtituta ex his, πάθημα ſit, & non morbus, quandoquidem totum redoleat naturam partium ſuarum? An nõ in paroxyſmis febricitare quiſpiã dicitur, et febricitando ægrotare? quare πάθημα ſit morbus oportet, & morbus πάθημα. Aut ſi febris hæc morbus ſit, & nõ πάθημα, cõiunctã cauſam habebit, ut dixit Valleriola: & nõ ipſius erit expers, ut cenſet Anonymus. Extremus hic cõflictus eſt, quo cõgreditur cũ Valleriola. Videtur huic erudito ſanè uiro, dilatatio pupillæ eſſe morbus, cuius cauſa ſit cõiuncta, humiditas quædã ueeã membranã extendens. Aduerſarius dilatationem morbũ eſſe negat, nam ſymptoma eſſe ait, quia ſcripſerit de ea Galenus in libris de Differentijs ſymptomatum. Ego quidem in quo genere morbi ſit

Anonymus tertianam fatetur eſſe morbum, & paroxyſmos tamẽ negat morbum eſſe, ſed παθήματα.

Aliud argumentum.

dila-

dilatatio, facile dicam: ipſe uerò nullũ ſymptomatis genus mihi proferet, ſub quo cõtineatur: quomodo igitur ſymptoma erit? At quòd plurima morborum uocabula libris his uſurpantur, ratio hæc eſt: quia ut ſine cauſa demonſtrari nihil poteſt, ita ſymptomatum ſine morbis ratio nequit intelligi. Quare non omnis affectus, cuius mentio ſit in libris de Symptomatibus, erit ſymptoma. Hæc dilatatio, morbi interdum, & aliquando ſymptomatis eſt uocabulum: quemadmodum ſpaſmus aut tremor interdum ſignificant ſymptoma, aliquando autem morbus his uoculis ſignificatur. Nam dilatatio duntaxat ſignificat uitioſam conformationem: nunquam uerò ſignificatur ea ſpecies ulla ſymptomatis, ut motus uitioſus, ſpaſmi aut tremoris uocabulo ſignificari conſueuit. Quare non eſt ut dicat aliter Galenum, & ſecus Æginetam uocabulo dilatationis uſum fuiſſe. Dilatatio morbus eſt & nõ ſymptoma. Dilatationis ſymptoma eſt ut res minores appareant quàm reuera ſint.

Quæ poſtea addit, nihil ad rem faciunt, ſed ambages, καὶ μακρὸς Σιμωνίδου λόγος, nec digna ſunt quæ confutet quiſpiam argumentis. Hactenus pro Valleriola congreſſus, cauſam ueritatis, quoad potui, defendere ſum conatus: nunc tempus poſtulat, ut quaſi hoc ſecũdo actu, illius patrocinium, quem ipſe honoris cauſa in ſuo libello nominat Anonymum, ſuſcipiam: fortaſſe

metuens,

metuens, ne expreſſo nomine offenderetur, aut forſan quia honorem hunc prius ei habuit Aduerſarius Anonymus, quãdo ſcilicet nulla ipſius contumelia, imò ne mentione quidem nominis ipſius facta, cauſam hanc tractandam olim ſuſcepiſſet. Rependam ei parem ergo gratiam, eiuſq; itidem nomen patiar in hac diſceptatione eſſe ignotum: rationibusq; non contra perſonam, ſed contra falſam opinionem dimicabo: ut omnes intelligant, non rectè ſentire noſtrũ aduerſarium, me uerò non iniquũ eſſe, qui patrocinari uero ſine cuiuſquã iniuria inſtituerim.

Anonymus contra Anonymum ſuam cauſam defendit.

Prima igitur hæc eſt reprehẽſio cenſoris noſtri: ſcribit, me non medicè, ſed philoſophicè de hac cauſa ſcripſiſſe. Fateor equidem. Nam quo nomine reprehenſa hæc cauſa & confutata à Galeno eſſet, docere uolui, quòd ſanè non præſtitiſſem, niſi Stoicorũ placita prius retuliſſem: quandoquidem falſa eius cauſæ aſſertio à Stoicis medicis in artem quoq; irrepſerit. At non ſi falſa ſunt, quæ de cauſa Continente commenti ſunt Stoici, propterea falſa quoq; erunt quæ dixit Ariſtoteles, quæ Galenus, qui ſubinde definiendis, item demonſtrãdis rebus, hoc cauſæ genere uti conſueuerunt. Quoniam cauſa prima, & per ſe, proximaq; eſt: quæ ſi fuerit, neceſſe ſit effectum eſſe: & quando non ſit, oporteat

Qualis cauſa ſit quę dicitur Coniuncta.

oporteat effectum quoq; deſinere. Aduerſarius *uerò noſter definitionem hanc, non Cõtinenti, ſed* Antecedenti *ſimpliciter adiudicat: qua nimirum res generetur & fiat, non qua eſſe & qua definiri dicatur.* Quod *ipſum primum eſt peccatum, & fundamentũ omnium errorum, quibus impleuit ſuum hunc libellum: quem tametſi ſuprà ſatis à me cõfutatum meminerim, non pigebit etiã nũc quædã addere, quo nullus nec errori, nec dubitationi locus relinquatur.* Reſpondeat *ergo mihi, quo pacto per ſe & immediata effectus eſſentiæ cauſa erit* Antecedens *ſimpliciter: quæ ſi fuerit, neceſſe eſt effectum nondum eſſe, & tum demum contingat factum aliquid eſſe: ſiquidẽ ipſa facere & mouere deſierit, quo nomine dicitur etiam antecedere, & non ſimul eſſe cum effectu?* Per *ſe igitur cauſa eſt naſcentis rei, ſed per accidens (quemadmodum priuatio quoq; eſt) exiſtentis, ſeu eſſentiæ rei, cauſam eſſe dicimus.* Quinetiam Galenus *nuſquam* Antecedentem *per ſe & proximam morbi, quatenus* Eſt, *cauſam dixit: ſed quicquid extra eſſentiam alicuius eſt, id per accidens cauſam eſſe dicit.* Etenim *per ſe cauſa eſt ſymptomatis morbus, ut impeditæ tranſitionis per ſe cauſa eſt obſtructio: ſed humor per ſe nõ eſt cauſa ſymptomatis, quia humore, quatenus humor*

Suprà oſtendimus definitionem Antecedentis cauſæ propoſitã ab Anonymo magis quadrare continenti.

Antecedens eſt per accidens cauſa effectæ effectus.

humor, ſymptoma hoc nõ definitur. At humor replens ſeu infarctus, per ſe cauſa eſt obſtructionis: quoniam non propter aliud, ſed per ſe impeditam conſtituit cauitatem. Antecedens autem non per ſe conſtituit obſtructionẽ, ſed mediante motu & priuatione, qua contineri etiã effectus ſine motu et priuatione Stoici cẽſuêre, ſed falſò. Etenim una per ſe & proxima cauſa duorum effectuũ, ſpecie aut genere differentiũ eſſe nequit. Quamobrem infarctus actu humor, & idem potentiæ & facultatis gratia adhuc replens & infarciens, eiuſdem per ſe cauſæ nequeũt eſſe effectus: ut ſi hæc ſit per ſe & proxima cauſa, neceſſe ſit alteram ſecundum accidens, & remotã, ideſt non proximam eſſe cauſam. Ex quo concludendum, aliud genus cauſæ eſſe Antecedens ſimpliciter: & aliud, Antecedens efficiẽter, ſeu προσεχὲς, ſiue συνεκτικὸν: quæ tamen Anonymus non diſtinguit. An non ſæpenumero Galenus συνεκτικὸν interpretatur uocabulo συνεχὲς? Idipſum uerò ſi latinè interpretere, aliud nihil eſt quàm immediatum: ut appareat Galenum quoquè coniunctam appellare immediatam, & nequaquam Antecedentem, ut ſomniat Anonymus: qui immediatam dicit eſſe Antecedentẽ & προσεχῆ, ac nihilominus negat eſſe cõtinentem: quo nihil poteſt dici

neq;

neq; mirabilius, neq; abſurdius. Secundum Galenum *ſunt ſimpliciter idem*, συνεκτικὸν αἴτιον *&* προσεχὲς αἴτιον, *utrunq; enim eſt* καθ' αὑτὸ καὶ πρώτως αἴτιον. Quorum enim cunq; definitio eſt eadem, *hæc ſimpliciter idem eſſe docet* Ariſtoteles *in ſeptimo* Topicorum. Idem *uerò* Galenus *quàm manifeſtè negat in* Commento *quodam de* Natura *humana*, Antecedētem *non eſſe* συνεκτικὸν, *id eſt*, προσεχὲς αἴτιον, *proximā & immediatam cauſam?* Ex *quo par eſt intelligi*, Galeno *autore, cauſam* Antecedētem *minimè eſſe proximam & immediatam: ſed* Anonymo *autore, definitio hæc ei cauſæ quadrabit, & nihilominus definitū, nempe* συνεκτικὸν, *non licebit hanc appellari.* Id *perinde facit atque ſi concederet*, Vulpem *eſſe animal rationis compos, & nihilominus eam hominem eſſe negaret.* Fortaſſe *ex* Petro Ramo Dialectica *hæc didicit, peccare profectò illum in communibus artis præceptis uel pueri intelligunt, quibus illum hac in parte iudicandum relinquo.* Conſtat *ergo, & ſole meridiano magis conſpicuum eſt,* Antecedentem *cauſam morbi, quatenus ſcilicet morbus eſt, & non fit, neque per ſe, neq; primam, neq; proximā, neq; immediatam eſſe cauſam.* Quis *enim unquā præter* Stoicos *medicos, plethoram per ſe cauſam & proximam*

Si Antecedēs ſic per ſe cauſa eſt morbi, ut morbus eſt ſymptomatis, tum ſequitur ut antecedens ſit continens cauſa.

morborum dixit? Præter Anonymum hactenus nemo affirmare illud fuit auſus, ut ſi Stoicorum adhuc factio floreret, deierare ſanè poſſem ipſum muneribus aut pecunijs corruptū ab illis eſſe, ut hoc ſcriptum poſteris & memoriæ mandaret, quo cauſam illorum contra Galenū noſtrum ageret. An hoc non eſt Stoicum, dicere Antecedentem cauſam ita immediatā & proximam eſſe morbi cauſam, quemadmodum ſit morbus ſymptomatis? Sic enim ſcribit:

Fol. 359.

Vt enim per ſe morbus, uitiatæ actiōis eſt cauſa: ita etiam cauſa Antecedens morbi, per ſe cauſa exiſtit.

Reliqua mihi ſubſinuare licet. Sed morbus ideo per ſe, ſymptomatis cauſa dicitur, quia συνεκτικὸν*: ergo Antecedens quoquè per ſe cauſa morbi dicetur, quia* συνεκτικὸν αἴτιον*.*

Anonymus non Galenum defendit, ſed Stoicam opinionem.

Quouſq; tandem non ſentis te Stoicum eſſe, & patronum uerißimum cauſæ Continentis: certißimum autem præuaricatorē eius partis, quā tu defendendam ſuſcepiſti? Quare pro iſto patrocinio cliens tibi neq; gratiā, neq; pecuniam debebit, quum eius cauſæ hactenus nemo magis quàm tu nocuerit. Nec mirum certè, pugnare ipſum cum Galeno, ut qui ipſe ſibi non conſentiat: & nihil ferè ſit, quod conſtanter dicat Anonymus, præter ſuos Epilogos. Miſſa facio hæc,

hæc, & quæ ad rem propoſitam intelligendam pertinent, exequar. In antecedentibus & gignentibus cauſis, nulla eſt neceßitas qua ſit effectus, ſed qua FIAT. *Quamobrem pars nulla eſt motionis cauſæ iſtius, qua exiſtente neceſſe ſit effectum eſſe. Non enim, ut Stoici, fatalem illam cauſam Antecedētem & neceſſariam eſſe dicimus. Nam quicquid eſt antecedentis cauſæ, iſtud ſic comparatum nos dicimus, ut eius gratia non neceſſe ſit effectum eſſe, ſed contingat eſſe, & accidat, & tum demum effectum eſſe: ſi uis & efficacia antecedentis cauſæ nulla fuerit amplius. Quamobrem ex his quæ generatione præcedunt, nemo quicquam demonſtrat. Non enim ſi Plethora eſt, morbū eſſe oportet, ſed è regione potius, à poſterioribus* γνώσει, *demonſtramus priora* γνώσει, *nempe per effectus oſtendimus neceßitatem cauſarum antecedentium: ut ſi Apoplexia eſt ſanguinea, neceſſe eſt præfuiſſe plethoram: & domus ſi eſt, apparatum materiæ & cauſas effectrices præfuiſſe oportet. Quid uerbis opus eſt? in exiſtētibus cauſa eſſentiæ & demonſtrationis eſt,* τὸ ὄν: *in fientibus,* τὸ ἐσόμενον: *ut breuiter monet Ariſtoteles in primo libro de Partibus animalium, copioſißimè eadem tractat in ſecundo Phyſicorum, & in poſteriore libro* ἀναλυτικῶν ὑστέρων

Antecedens per ſe & neceſſaria cauſa nō eſt rei quatenus eſſe dicitur.

Neceſsitas antecedentis pendet ab effectu, & ex hypotheſi & per ſe neceſſaria eſt cauſa.

cap. 12. quæ ſi didiciſſet bene noſter aduerſarius, in hos errorum laqueos ſe non induiſſet, è quibus explicare ipſum, niſi hoc modo diſputando, non poſſum. Oportet *profectò laboranti ueritati ſuppetias ferre, nec amicitiæ uel odio dandum aliquid, quibus utriſq; ueritas plerunq; periclitari & ſupprimi conſueuit, qua nulla eſt maior tamen in rebus humanis iniuria.* Non *intelligēs hæc* Anonymus *cauſam ſimpliciter* Antecedentem, *& per ſe, & immediatam cauſam morbi eſſe pronūciat.* Veretur, *ne ſi hanc non proximè adiunxiſſet morbo, quiſpiam propiorem quandam, nempe continentem ſeu coniunctam interponeret, ideo ſic adſtringendo cauſam* Antecedētem *cum morbo, coniunctam elidit per uim, & quaſi de ſuo loco eijcit: quam ego non prætorio iure quodam, ſed philoſophico, deiectā reſtitui in integrum & poſſe & debere exiſtimo.* Haud *paulò leuius illud etiam eſt peccatum, quòd* ὁμόγονον, *ſeu* προσεχὲς αἴτιον *morbi non cauſam, ſed ipſum per ſe morbum dicit, ut paulò antè dixerat* Antecedentem *per ſe cauſam morbi eſſe, quæ profectò ſi ſit per ſe & proxima cauſa, neceſſe erit cōiunctam cauſam eſſe morbum.* Sed *ut prius falſum, ita quoq; poſterius eſt.* Ad *hæc abſurda tanquam ad ſcopulos quoſdam, impellunt*

Veritati ſuccurrendum.

Quæ ratio ſit ob quam deſi nierit hoc modo Antecedētem Anonymus.

Aliud Anonymi peccatum.

Vt Antecedens non eſt per ſe cauſa, ita quum nos coniunctā di

lunt ipſum negatio cõtinentis cauſæ in morbis, & aſſertio cauſæ Antecedentis:*quam definiens ipſe ut* συνεκτικὸν, *nihilominus negat* συνεκτικὸν. Ruinoſis *& infelicibus his argumentis omnia ſuperſtruens, mirum non eſt, ſi rationes paßim ipſius uacillant & claudicant: & modò hoc, modò aliud à ueritate ipſa coactus, tãquam ultrice* Nemeſi, *dicere & ſentire cogatur.* Conferamus *nos ad reliqua, quibus ſententiam noſtram oppugnat argumenta, quæ ſunt iſtius generis pleraque, ut his infirmandis modum mihi putem adhibendum, ne ſubinde eandem quaſi cantilenam repetere uidear.* Deſeruiſſe *ſe philoſophorum caſtra, & ad medicos ſe cõtuliſſe, gloriatur* Anonymus. Qualia *ſub philoſophiæ uexillis ſtipendia merueris, & quo commeatu hinc trãsfugeris, nolo ſanè dicere.* Næ *gloriatio hæc digna eſt tali diſputatore, qui ſi unquam in caſtris philoſophiæ legitima ſtipendia feciſſet, tam malè & præpoſterè de cauſa continente non litigaſſet, neq; tam infeliciter hactenus cum ſuis aduerſarijs cõflixiſſet.* Exprobrat *mihi ſtudium philoſophiæ, quod* Galenus *tantopere laudat in medico, ut eundem dicat optimum medicum & philoſophum, ut etiam hac in parte aduerſari ſententiæ Galeni uideare: ut qua fide in caſtris ipſius uerſere (quod ad diſ-*

cimus, nõ eſt per ſe morbus.

Magna res & nõ puerilis eſt philoſophia, quã docti homines nũquã aſpernantur, ſed per omnẽ uitam eam colunt.

putationem hanc attinet) alios cogitare quàm ipſe pronũciare malim. Obſecro mi Anonyme, dic mihi, quandoquidem morbos nõnullos tanquam in coloniam quandam traducis in genus ſubſtantiæ, quod præter te nemo unquam fecit, qua nam ratione fretus uel autoritate id facias? Galenum allegas, qui atheromata, ſteatomata, calculos, pus, ſextum digitum, quæ nimirum ſunt ſubſtantiæ, morbos eſſe dicat. Atq; harum quidem ſubſtantiarum nonnullas toto genere, aliàs uerò quaſdam, non toto genere, præter naturam eſſe dicit. Nequaquã Galenus has res quatenus ſunt ſubſtantiæ, dicit eſſe morbos. Quippe morbus cùm ſit accidens corporis animati, naturæ ipſius aduerſatur, ut ſubſtantia ſit: & χωριστὸν quiddam, quod ſubſtantiæ proprium eſſe ait Ariſtoteles. Extra corpus, pus, & ſteatoma, ſubſtantiæ ſunt: ſed pro morbis, quando ſunt ſeparata, nemo numerat. In corpore, morborũ habẽt appellationem, non quia ſubſtãtiæ, ſed quia ipſis accidit quidpiã, gratia cuius ſint et dicãtur morbi. Quid ergo eſt quòd his ſubſtãtijs accidit, ut nomen ipſis et appellatio morbi quadret? Accidens eſt quoddam, nempe Numerus, gratia cuius redundans & inutile quiddam dicũtur huiuſmodi ſubſtantiæ, qua ratione dicũtur etiam impedire actionem: non quia

Morbum nullũ eſſe in prædicamẽto ſubſtantiæ, ſecundum Galenũ.

Numerus eſt in prædicamẽto quãtitatis.

quia ſubſtantiæ, ſed quia his accidit aliquid, uidelicet Numerus naturæ corporis repugnãs. Subſtantiæ ſunt res, naturalis, morbus aliquid eſt contra naturam, quemadmodum ſanitas eſt res ſecundum naturam. Aliud ſecundum Ariſtotelem eſt Natura, & aliud res naturalis: deniq; ab utriſq; diſcrepat, quicquid ſecundũ, aut contra naturam eſſe dicitur. Quæ tertio genere continentur, omnia ſunt accidentia. Quare morbus etiam, cùm ſit aliquid cõtra naturam, tertij generis res quædam: nempe accidẽs erit, & nequaquam ſubſtantia. Proinde quæ ſubiungit cùm de morbi genere Galenum & Ariſtotelem non idem ſenſiſſe oſtendit, digna mihi non uidentur, quæ diſputãdo refellat quiſpiam. Nam hypotheſeos falſitate cognita, quæ deinceps ſequuntur, quiuis etiam abſque monitore facilè intelligit. Ille uerò noſter aduerſarius triumphat, quòd iam ſibi primùm hoc cõmentum in mentem uenerit, ut ſecundum Galenum quoſdam morbos ſubſtantias eſſe diceret, nec διαθέσεως uocabulum ſemper qualitatem apud Galenum ſignificare putat. Ego quidem tibi iſtud in mentem ueniſſe non miror, ſiquidem conſtitutum tibi fuit cauſam Continentem ex medica arte profligare: quod non potuiſſes certè, ſi hæc tibi abſurda hypotheſis non ueniſſet

Argumẽtum quo intelligitur omnẽ morbum accidẽs eſſe & nõ ſubſtantiam.

in mentem. Non enim niſi abſurdis argumentis, concluſa abſurda probari poſſunt. Quòd ſi numerus, uel magnitudo contra naturam, ſunt ſubſtantia, non recuſo quo minus morbus etiam ſubſtantia dicatur: ſed accidentia eſſe, tam eſt notum, ut in rudimentis dialecticis nihil notius eſſe poßit. Haud temerè dubitet & quærat aliquis, quî fieri poßit, ut omnes morbi uno genere qualitatis, nempe diatheſi aſtringantur: cùm tamen figura ſit in quarta ſpecie qualitatis, numerus in genere quantitatis, intemperies in tertia ſpecie qualitatis: quocirca morbos etiam in diuerſis generibus reponendos, ut hac ratione nullum genus certum ſpecies morborum habere uideantur. Reſpondemus, quantitatem nempe numerum, magnitudinem, figuram, & reliqua, morborum genera non eſſe: ſed ne differentias quidem, niſi quoad qualitate quadam determinentur, quæ participent genere διαθέσεως. Equidem differentia ſequitur naturam generis (morbus enim διάθεσις eſt & qualitas) quam interdum nihil uetat aggregari ex uoculis diuerſorum generum: quod ipſum deinde aggregatum, ſi fuerit, differentia neceſſe eſt, τὸ οἰκεῖον συνεπιφέρειν γένος, ut Ariſtoteles docet libro ſexto Topicorum. Magnitudo non ſubinfert genus morbi, nempe διάθεσιν, quare eius differentia quoque non eſt.

Ratio propter quam morbus non ſit in uarijs prædicamentis, ſed omnes contineantur prima ſpecie qualitatis, nempe diatheſi.

non eſt. Sed determinata magnitudo, nempe qualis quædam magnitudo, ut quæ contra naturam ineſt corpori animato, participat genere διαθέσεως, *& morbi cuiuſdam tanquam differentia, ſpeciem ipſius conſtituit. Vnico uocabulo ſpecies hæc nequit exprimi. Nam qui dicit et nominat morbũ in magnitudine, is ſpeciem quandam morbi uidetur pluribus uerbis expreßiſſe. Idem ſentiendum de reliquis. Neque enim* Figura *morbus eſt, ſed qualis quædã figura: nec* Numerus, *ſed qualis quidam numerus: nec caliditas, ſed qualis quædam caliditas: quæ nimirum cùm ſint differentiæ generis diatheſeos, nullum morbum extra genus illud conſiſtere patiuntur. Tam uerò abſurdum non eſt huiuſmodi* Numerum, *qualitatem quandam eſſe, ſeu* διάθεσιν, *quàm abſurdum non eſt* Triangulam *ſpeciem (quæ aliàs ſit quantitas & ſuperficies quædam) quoad ea corpus quoddam determinatur, nõ in quantitatis, ſed qualitatis genere quodam, nempe in* FIGVRA *collocari. Cæterum* διάθεσις *(autore* Ariſtotele*) ſignificat qualitatem quandam, quæ in rebus ineſt, cauſa ordinis partium. Is ordo conſideratur aliquando ratione loci. Vt quando loci gratia dicitur aliquid præditũ diatheſi. Nam ſunt nõnulla quæ dicuntur qualia quædam propter*

Magnitudo, nõ eſt differentia morbi, tanquam generis, ſed qualis quædam magnitudo.

Ratio, quare cauſæ morborum, item morbi, item ſymptomata, dicãtur à Galeno Diatheſes.

contagionē loci, & adiunctione ad aliud quid dam. Accidunt διαθέσεις *rebus, quoad applicitæ certis corporibus ſortiuntur ab eo, quod efficiunt qualitatis cuiuſdam appellationem, ut aëris quædam eſt* διάθεσις*, qua dicitur ſalubris uel inſalubris: item antecedentium cauſarum &* προκαταρκτικῶν *qualitatem, definimus* διαθέσεις *hæc, qua dicuntur contra naturam, propter loci contagionem ſe habere: ſiue qua non dicuntur hoc modo, ſed contrario, nempe ſecundum naturam qualia eſſe. Sic cauſas illas definimus non ratione ſubſtantiæ, ſed* διαθέσεων*: quarum cauſa ſint efficientes morbi, uel ſanitatis. Etenim ſalubritas in aëre,* διάθεσις *eſt quædam aëris, qua conſeruat aut efficit ſanitatem. Valet ratio eadem in omnibus, in quibus loci gratia* διάθεσις *rei adſcribitur, qua dicuntur ſecundum aut contra naturam habere. Sic omnium, quæ partium & locorū ratione ordinem quendam habent, dicimus* διάθεσιν *eſſe, ut mundi, ut partiū animalis, ut domus, ut orationis rhetoricæ. Iam cauſas quoq; morbificas in numero* διαθέσεων *refert Galenus, quæ ut contagione corpora afficiunt, ſic loci gratia: non autem per ſe quandam* διάθεσιν *contra naturam obtinent, qua dicuntur morbificum qualitatem uel quantitatem habere, quam extra contagio*

Diatheſis quę accidit rebus cauſa partium quæ loco differunt.

Ariſto. lib. 4. Metaphy.

nem

nem hanc & ordinem partium ſe mutuò tangentium, diatheſin non haberent. Alia eſt *uocabuli* διαθέσεως *ſignificatio, qua tanquam genere includuntur affectus ipſi.* Deſcribitur *autem & hæc, ordine, ſeu* τάξει, non loco, ſed δυνάμει diſcrepantium partium. Huiuſmodi diatheſes, *habitus etiam poſſunt dici: qui inſunt in rebus* cauſa potentiæ partium, *quæ ſecundũ magis & minus* τάξιν *quandam habent: & propter hanc* τάξιν *ſortiuntur etiã* διάθεσιν, *quæ nimirum partium* δυνάμεως *eſt qualitas quædam, qua uel ſecundum, uel contra naturam ſeſe habeat ſubiectum* δυνάμεως. Diatheſis *mediocriter habentium partium* δυνάμεως *ſubiecti, uirtus dicitur, aut ſanitas, non mediocriter: uitium autem, morbus.* Tertia *uocabuli* διαθέσεως *ſignificatio, qua ordo ſeu* τάξις *partium ſpeciei (non loci, aut* δυνάμεως*) ſubijcitur* διαθέσει, *qua ſignificatione dicuntur* διαθέσεις à Galeno *ſymptomata.* Nam & *his corpus dicitur* διατίθεσθαι. Quoniã *color ſymptomaticus non eſt ſympliciter, ſed qualis quidam color, & motus etiam eſt qualis quidam motus, quæ in ipſis qualitas definitur partibus* τοῦ εἴδους, *nempe morbi: cuius partium reſpectu ſymptoma dicimus eſſe* διάθεσιν. Licet *hoc modo quoduis* ἴδιον ἀχώριστον διάθεσιν *appellare*

Secunda ſignificatio διαθέσεως pertinens ad partes, quæ cauſa δυνάμεως ſubijciuntur formæ.

Tertia ſignificatio, pertinens ad partes, τῷ εἴδει diſcrepantes.

reſpectu partium ſuæ ſpeciei, quod ipſum etiam proprium nequit in alio quàm ſui ſubiecti genere collocari: ut nimirum in quo prædicamento ſeu genere ſubiectum eſt, in eodem quoq; ſit proprietas ipſius. Vt *in quo genere morbus ponitur, in eodem quoq; ſymptoma poni eſt neceſſe.* Excretio *in genere, eſt actionis. Sed excretio* Dyſenterica*, in prædicamento qualitatis & διαθέσεως eſt, quia partium ἕλκους δυσεντερίας eſt quædā διάθεσις: nec alibi excretio hæc poteſt ineſſe, quàm inteſtinis, propter πάθος dyſentericũ.* Eſt *autẽ excretio huiuſmodi, diatheſis inteſtinorũ, proueniens ab exhulceratione corundẽ, qua deijciũtur ſanguinea quædam, interdum cum ramentis.* Ratio *iſtius διαθέσεως* explicatur, *ἕλκους τῆς δυσεντερίας, quod partibus ſuis definitum ſubijcitur ſymptomati.* Quo *conſtat, rectè dici etiamà* Galeno *ſymptoma διάθεσιν, perinde ut cauſas & morbos ipſos διαθέσεως uocabulo complexus eſt.* Ex *quo perſpicitur, morbos omnes genere διαθέσεως uno cõprehendi: quod* Anonymo *non uidetur conſentaneum. & non modò morbos, ſed etiam cauſas morborum, & ſymptomata, ad idipſum genus pertinere: quod multo minus ueriſimile cuipiam uideri poſſet.* Quæ *diximus, faciunt ad* Galenum *intelligendum*

In eodem præ dicamento eſt proprium in quo eſt ſubiectum proprij.

dum, & defendendum ipſum contra quorundã calumnias, qui uocabulo ipſum διαθέσεως non tam uti, quàm abuti uociferantur: quod ipſum tamen, quibus & quo modo ſe habentibus rebus debeat accommodari, penitus ignorat. Noſter aduerſarius porrò ex qualitatis genere ſubmouet morbos, & in prædicamentum relationis eos traducit: cùm prius nonnullos, tanquam colonos, deduxiſſet in genus ſubſtantiæ. ita nihil non licere ſibi, propter dialecticæ admirandam ſcientiam arbitratur: ut uix quid contrà mihi dicendum ſit, reperire queam. Sic autem ſcribit:

Vt enim ſanitas & morbus, ita quoque affectus & actio ex eorum numero ſunt, quæ ad aliquid referuntur. Ideóque non in genere, uel (ut hodie loquuntur) predicamento qualitatis, ut cenſuit Ariſtoteles, ſed potius Relationis, ſeu ad aliquid, reponuntur.

Anonymus morbos collocat in Relatis.

Non negamus quin ὁμωνύμως uſurpetur uocabulum διαθέσεως, & aliâs qualitatem eo ſignificari, aliàs uerò pro relato uſurpari. Nam diſpoſitio, diſpoſitæ rei diſpoſitio, nempe menſura diſpoſiti quædam dicitur. Verumtamen quoad genus eſt morbi, διάθεσις non eſt uocabulum Relatum, ſed qualitatis uox: quoniam morbus etiam abſolutum quiddam, & nequa-

quam

quam Relatum *eſt.* Q*uod ſi morbus, nempe ſpecies* διαθέσεως*, qualitas eſt,* διάθεσιν *quoq; in*

Morbum eſſe in genere qualitatis.

illo genere eſſe oportebit: quandoquidẽ in eodem genere ſit genus definitionis, in quo definitum eſt, nempe ſpecies. Genera *enim & differentiæ, naturam ſpeciei ſequuntur: ut ſi morbus ſpecies eſt qualitatis, genus etiam & differentiam qualitates eſſe oportebit.* Non *longè ſecus grammaticam quoq; in genere qualitatis, definimus genere ſciẽtiæ, quod & ipſum qualitas ſit oportet: tametſi quoad eſt, extra definitionẽ abſolutorũ poßit referri.* Etenim *autore* Ariſtotele*, uocabula ſeparatim, & cum alijs coniuncta, non idem ſignificant.* Vt *uox ſcientiæ in definitione grammaticæ, tantùm qualitas*

Morbus eſt per accidens relatum, quia uidelicet genus ipſius poteſt referri. Sed Anonymus alium modum relationis, & illum falſum, proponit.

eſt: ſed ipſum ſeparatim poſitũ, poteſt pro Relato *haberi.* Per *accidens igitur* Grammatica *refertur, quia uidelicet genus ipſius poteſt referri.* Sed *noſter aduerſarius dicit, morbũ quoq; referri, quia referatur ad impeditã actionem, quia ſimul ſint, & ſimul perimantur ambo.* Nos *uerò nequaquã cõcedimus: quæ ſimul ſint, & ſimul deſinant, pro* Relatis *habẽda.* Tametſi *enim* Omnia *relata ſimul ſunt & deſinunt, ob id non uicißim: & è regione uerum eſt, quæcũq; ſimul ſunt & deſinũt, hæc eſſe relata.* Pro*pria enim & ſubiecta, ſimul ſunt & non ſunt,*

tamen

tamē ob id in genere Relatorum *nequaquā ponēda.* Ergo *paralogiſmus eſt ex ambabus affirmātib. quādo ſic argutatur:* Omnia relata *ſunt ſimul natura.* Sed Morbus *& uitioſa actio, ſunt ſimul natura.* Quare *uitioſa collectio hæc non mihi fucum faciet, quemadmodum fucum fecit* Anonymo.

Paralogiſmus Anonymi.

Rurſus *poterit nobis quiſpiā opponere in definitione morbi, relatum genus, et differentiam poni, quare definitum quoq; fore* Relatum. Dicitur *enim eſſe* Diatheſis *impediēs actionem.* Nam *&* Diatheſis *refertur, & impediens, &* Actio *quoq; nonnullis uidetur referri, ſed falſò tamē.* Eſto, *ut* Actio *quoq; referatur: ob id tamē definitio hæc non eſt in genere* Relatorū, *ſed abſoluta in genere qualitatis collocanda: propterea quòd differentiæ definitionum* Relatiuarū, *diuerſi generis eſſe nequeunt.* Genus, *nempe diatheſis, eſt in tertio genere relatorum. (quandoquidem* Ariſtoteles *omnia relata tribus generibus partitus eſt) & horum in ſecundo genere, uocabulum eſt impediens.* Quanquā *impediens, non eſt differentia: quia non* συνεπιφέρει τὸ γένος, *ſed pars eſt differētiæ.* Nam *impediens, actionis eſt differentia, quoniam genus diatheſeos ſubinfert, quam nemo eſt qui uel ſomniare poßit aliquò referri.* Sed *hæc in* Commentarijs *noſtris in ſextum* Topicorum

Obiectio.

Metaphy. 4.

Ariſto. in 6. Topic. πᾶσα διαφορὰ τὸ οἰκεῖον γένος συνεπιφέρει.

corum Ariſtoteles planè documus, quæ noſtri temporis diſputatores & ſcriptores intelligere, non cõtemnere deberent. Ignorãtia enim ueræ Dialecticæ, dictu mirum eſt quàm prodigioſas ſubinde pariat opiniones. Falſum igitur eſt quod Anonymus dicit, morbũ referri ad uitioſam actionem: idq; teſtimonio confirmat Ariſtotelis, qui Relata dicat non per ſe intelligi, ſed cum alio, ad quod nimirum referantur. Paralogiſmum hunc paulò antè ſoluimus. Nónne

Morbum nõ eſſe relatum reſpectu uitiatæ actionis.

ſymptoma ſæpe cognoſcitur, & tamẽ morbus ignoratur? quomodo igitur relata ſunt morbus & ſymptoma, quandoquidem uno cognito, ſimul alterum cognoſci non ſit neceſſe? Ex quo apparet ignarum eſſe Anonymũ eius artis, quæ docet unamquanq; rem in ſuo genere collocare: quam ipſe, ut puerilẽ cõtemnens, nihilominus putat ſe digitis (ut dicitur) cœlum attingere. Noſter aduerſarius dicit quicquid in buccã uenit, & quouis cothurno eſt inſtabilior. Paulò antè dixerat, ipſum lapidem & ipſum humorem, nempe ipſam ſubſtantiam eſſe morbum.

Fol. 196.

Iam dicit, non ipſa eſſe morbos, ſed Relationes ipſarum ſubſtantiarum: quæ certè ſubſtantiæ non ſunt, ſed accidentia ſubſtantiarum. Sed ne hoc quidem loco rem acu tetigit. Nam ego quidem morbos accidentia eſſe dico, ſed rela-

Inconſtantia Anonymi.

tiones

tiones eſſe nego. Dum de Cauſa *morborũ continente diſputat, propèmodum etiam morbum ipſum nihil eſſe oſtendit: cùm enim nec ſubſtantia ſit, nec* Relatio, *neceſſe erit ipſum nuſquam & nihil eſſe, cùm in nullo genere rerum poßit reperiri. Nam qualitatem eſſe negat,* Relatum, *aut ſubſtantiam eſſe hactenus non probauit. ex quo ſequitur, ut fruſtrà diſputet de cauſa eius rei, quæ argumentis ipſius probata ſit omnino non eſſe.* Paulò *pòſt dicit, lapidem eſſe* Relatũ, *& non ipſam* Relationem. Argumentari *igitur contra* Anonymum *ſic licebit:* Morbus *eſt relatio.* Sed *lapis non eſt relatiò.* Ergo *lapis non eſt morbus.* Sed *ſuprà dixiſti, lapidem eſſe morbũ, & hoc nomine morbum etiam in prædicamento eſſe ſubſtantiæ.* Nunc *aliud dicis, & negas lapidem eſſe morbum.* Vide *igitur quàm ſis bellus diſputator, ut alium non requiras qui contrà diſputet, quãdoquidem tute temetipſum argumentando apertißimè refellas.* Si *relatio eſt morbus, ergò lapis non primò impedit actionem.* Proinde *cùm neque ſubiectum ſit morbi lapis (quoniam non ægrotat lapis) nec ſit ipſe morbus (quia non eſt relatio) ex neceßitatè cauſa coniuncta erit morbi: quod cùm ultrò* A*nonymus affirmet, non eſt cur id argumentis ſollicitè deinceps aſtruam, & probem.* Si *iam*

Anonymus ultro cõcedit lapidem eſſe cauſam cõiunctam morbi.

pridem id ei ueniſſet in mentem dicere, uno errore ſcilicet contentus, non dixiſſet lapidẽ eſſe ipſam obſtructionem, nempe ipſum morbum: quod nihil aliud eſt, quàm morbũ in quid prædicari de lapide, & ipſum eſſe genus lapidis: quandoquidem lapidem ὅπερ αὐτὸ νόσημα, *pronunciat eſſe.* Ex *quo ſequitur, ſi morbus ſit ad aliquid &* Relatum, *ut nec morbus, nec obſtructio, ſint amplius in prædicamento ſubſtantiæ, ſed in prædicamento* Relatorum. *Quare lapis ſi eſt ſub genere* Relatorum, *accidens erit, & inſeparabile quiddam à ueſica: quippe ſeparari, & ſeparatim eſſe accidentia nullo modo poſſunt: quod multò abſurdius dictu eſt, quàm ſi diceret, lapidem ſeu morbum in prædicamento eſſe ſubſtantiæ. Veritus hanc obiectionem Anonymus ei ſedulò occurrit, ac dicit, Subſtantiam, uel qualitatem, non eſſe ipſas relationes, ſed* Relata *quædam. Ac ſubſtantiam quidem (ut lapidem) eſſe ipſum morbum, & morbum eſſe* Relatum, *id eſt, cui accidat* Relatio, *non autem eſſe relationem ipſam: quoniam abſurdum ſit dictu & auditu, Subſtantiam dicere accidens. Cæterùm ut morbus ſit* Relatũ, *ſic morboſitatem eſſe* Relationem: *& ut Sanitas ſit* Relatũ, *ſic ſalubritatem eſſe* Relationem. *Etenim morbum eſſe fundamentum morboſitatis, quemadmodum*

*modum pater ſit fundamentum paternitatis, & morbum uel patrem ſubſtantiam quidem eſſe (*Relata *enim tanquam abſoluta & fundamenta relationum, in ſuis quibuſdam collocari generibus)* Paternitatem *uerò quia* Relatio *ſit, non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens, à quo relata ſeparari poßint: fundamenta enim poſſe ſine* Relationibus *eſſe.*

Non mihi ſi linguæ centū ſint, oraq; centum,
Horū equidē errorū cenſeri nomina poſſent.

Primùm ſi Morbus, *ut* Subſtantia, *uel qualitas, ſint* Relata, *id eſt, fundamenta* Relationis, *quomodo in genere erunt ſeu prædicamento ſui* Accidentis, *quādoquidem quod accidit, non poßit cuiuſquam eſſe genus? Aut ſi non per Synecdochen, ſed ſimpliciter ſunt* Relata, *cum hoc modo cōcreta, ſint in eodem prædicamento: quo abſtractā, quæro, qua ratione in ſubſtātia, aut qualitate morbi reponētur? Nam & in his generib. morbos eſſe dicit* Anonymus, *& de hoc prolixè diſputatū fuit ſuperius.* Sed Anonymus *nihilominus morbū & ſanitatē, quæ ſint* Relata, *in categoria (ſic enim ſcribit)* Relationis *poni, & nequaquam in* Qualitatis, *cenſet.* Paulò *ſuperius dixerat, morbū quoad ſubſtantia uel qualitas ſit, non* Relationem *eſſe, ſed* Relatum *quiddam, quatenus nimirum ei* Rela-

tio accidat. Si morbus eſt concretum quiddam, nempe Relatum,*ex abſoluto nimirum quodam & relatione conſtituetur.* Abſ*olutum eſt, autore* Anonymo, *ſubſtantia uel qualitas quædam, ſed relatio eſt morboſitas.*Ergo *morbus quoque erit relatio, & non relatum.* N*am abſtractum eſt morbus, quemadmodum paternitas, cuius concretum eſt: morbidum uel morbificum, ut paternitatis cõcretum eſt pater.* Ex *quo concludendum, morbũ ipſum eſſe relationem, & non relatum quiddam.* Q*uare ſi idem morbus ſubſtantia quoq; eſt, uel qualitas (nempe fundamentum* Relationis*) neceſſe erit ſubſtantiam uel qualitatem, eſſe* Relationem:*quod ipſemet* Anonymus *fatetur abſurdum eſſe.* Vt *hoc igitur ei demus: morbum reſpectu ſymptomatis referri (quod tamen ipſum ſuprà oſtendimus falſum eſſe) oportebit ipſum, ſcilicet morbum, per ſe relationem eſſe, & non ex abſoluto & relatione concretum quiddam, quod ipſe* Relatum *nominat, ſubiectũ ſcilicet quoddam & fundamentum relationis, non autem ipſam* Relationem. Ergo,*ſiquidem morbus eſt ſubſtantia, & omnis morbus eſt relatio: ſequitur, ut quædam relatio ſit ſubſtantia.* Nouas *fingit* Anonymus Rel*ationes, morboſitates ſcilicet, & ſalubritates: cùm tamen abſtractorum*

Anonymus aliquando dicit Relatũ eſſe fundamẽtum relationis. Interdum dicit eſſe in genere Relationis.

non

non ſint alia abſtracta, ut morbi abſtractũ non eſt morboſitas: ſed ut morbidi abſtractum eſt morbus, ita morboſi abſtractum eſt morboſitas: & ut ſani, ſanitas, ita ſalubris abſtractum eſt ſalubritas. Scio aduerſarium accuſaturũ hoc loco meam obſcuritatem, quæ tamen non mea eſt, ſed uel rerum ipſarũ: uel uidetur eſſe, propter ruditatem eorum, qui philoſophiam non callent. Nec Sol obſcurus eſt, quia lippientes oculi aut cæcutientes eum uidere non poſſunt: ut meritò ſit ridendus, qui demonſtrationes, quas ipſe non intelligat, obſcuras & inutiles eſſe clamet. Quæ porrò dicit & ſcribit Anonymus, tantam redolent uel perplexitatem uel falſitatẽ, ὡς δοκεῖν τὸ παράπαν ὑπὲρ ἡμᾶς λεγόμενα, ut Ariſtoteles alicubi ſcribit de Empedocle: ut ne diuinare quidẽ poßim, quo tãdem in genere morbum exiſtimet eſſe, Relationís ne, an Subſtantiæ, an qualitatis? quum modò huic, modò alij prædicamento genus morbi adiudicet. Relatum, id eſt, in genere Relationis, dicit eſſe lapidem, quoad ſit morbus. Sed quoad ei non accidat relatio, non eſſe morbum, & hoc nomine eſſe in genere ſubſtantiæ. At ſuprà dixerat, Fol. 169. ipſum lapidem, quia ſubſtantia, eſſe morbum: adeoq; morbũ in genere ſubſtantiæ eſſe, quam conſtat in omnibus generibus eſſe abſolutißi-

mam. Hoc uerò loco propter relationem, lapidem dicit eſſe morbum, non quia ſubiectum relationis. quod ipſum quid aliud eſt quàm inficiari quod paulò ante affirmauit, pugnãtia inter ſe, pro ueris & conſentaneis aſtruere? Diluendis obiectionibus per poſticum ſe ſubducit, ſed tamen ſcientes fallere non poteſt. Quæro, Relatum quomodo poßit fundamẽtum eſſe relationis? Nam ſi fundamentum eſt, oportebit relatum eſſe abſolutum. Pater uerò nequaquam eſt fundamentum paternitatis, ſed pater ſignificat duo, fundamentum ſcilicet, id eſt abſolutũ, & paternitatem: quæ refertur, niſi per Synecdochen uelit intelligi patris uocabulũ pro Relato, nempe pro homine ſeu fundamẽto, et abſoluto, in quo poßit ineſſe paternitas: qua ratione, pater nõ erit in prædicamẽto relationis, ſed ſubſtantiæ. Omnia relata dicit, in genere eſſe relationis. Sed nõnullas ſubſtãtias eſſe relata. Ergo, quaſdã ſubſtantias eſſe in prædicamẽto relationis eſſe. Ego uerò cum Dialecticis dico, ſubſtantias non eſſe Relata (lapis enim, autore Anonymo, quatenus morbus, & ſubſtantia eſt, & Relatum, nempe morboſitati, ut relationi ſubiectus) ſed ipſis accidere relata: ut quemadmodũ homini accidit ut dicatur albus, ita accidit eidẽ ut dicatur pater, aut ad aliud quid Relatus. Etenim

enim cui aliquid accidit, non eſt in prædicamento ſtatim eius generis quod ei accidit, alioqui omnia eſſent in omnibus: quod ipſum non eſt diſtinguere, ſed confundere genera & prædicamenta rerum. Omnino *concreta quæ ſignificant aliquid in aliquo (ut* Relatum *ſignificat* Relationem *aliquam in abſoluto quodam, & album ſignificat albedinem in ſubiecto) ſunt in prædicamento abſtractorum. Subiecta uerò, nec in prædicamento concretorum poni, nec abſtractorũ poſſunt.* Ex *quo ſequitur, lapidẽ, quatenus ſit ſubſtantia, nequaquam morbum eſſe, quandoquidem in prædicamento non ſit* Relationis. *Hactenus demonſtrauimus* Anonymũ *perplexè loqui de* Relatis, *et aliâs tanquam fundamẽta et abſoluta, ſubijcere ipſum hæc relationibus, aliâs, ut reſpectus habẽtia, in prædicamẽto* Relationis *ponere: ut haud exploratũ habeas quid ſentiat, cùm tam ambiguè loquatur, et minimè* Dialecticè. Morboſitas *ergo in genere* Relatiõis *erit, ſed morb. ut fundamentũ, aut ſubſtãtia erit, aut qualitas: ac in prædicamento nõ erit* Relationis, *ſecundũ* Anonymũ. Et *rurſus cùm morb. ſit* Relatũ, *&* Relatũ *ſit in prædicamento* Relationis, *neceſſe erit, morbũ in genere* Relationis *eſſe: quare neceſſe eſt, ut homonymũ ſit uocabulum* Morbus, *& quatenus homony-*

Morbi uocabulum non eſt homonymum ut ob id in diuerſis poni prædicamentis, poſsit.

mum, diuerſis in generibus collocari: de qua tamen homonymia, nec Galenus, nec Anonymus nos admonuit, cùm una ipſius ab utroq; definitio proponatur: ut hac in parte ſit etiam perſpicuum. fingere homonymiam Anonymum, quæ tamen nuſquam reperiatur apud Galenũ. Anonymus, ut Sophiſtæ ſolent, omnia facit perplexa homonymijs, quibus tanquam diuerticulis ſeſe occultat, nec in clara luce uerſatur ueritatis, ut philoſophi ſolent: quos ei ſatius fuiſſet imitari, quàm contemnere, & ab artis medicæ tractatione tanquam agreſtes & indoctos ablegare. Demonſtratum hactenus eſt: Morbum reſpectu ſymptomatis, nequaquam pro Relato habendum. Et quamuis ultrò etiam concedamus eſſe Relatum, tamen ne poſito quidem illo falſo, probare poſſe aduerſariũ quod inſtituit, nempe cauſam eſſe nullam continentem, cùm tamen interdum ex falſis concludi uera contingat. Tantum uerò abeſt, ut Anonymus ex his falſis aliquid uerum concludat, ut multo pluribus abſurdis opinionem ſuam inuoluat, quàm ſi morbum ex Relatorum numero ſuſtuliſſet. Ariſtoteli nunc reſpondebimus, qui libro ſeptimo Phyſicorum, quando probat ſecundum habitum res non moueri, inter reliqua argumenta illud quoq; affert: Secundum Relationem

motum

motum rebus nō ineſſe, aliâs in quinto φυσικῶν probauerat. Deinde habitus quoſdam nominatim commemorat, ut ſanitatem, morbum, uirtutem, uitia, quos conſtet eſſe partim συμμετρίας, partim ἀσυμμετρίας, quæ relationū uidelicet tertiæ ſpeciei ſint uocabula. Ex quo ſit perſpicuū, ſecundum illos habitus, res motionibus non eſſe obnoxias. Reſpondemus nos, ſanitatem ob id Relationem non eſſe, quia pars differentiæ ipſius ſit συμμετρία, quemadmodum nec Grammatica relatio eſt, quia genus ipſius eſt ſcientia. Nihil enim prohibet, quo minus definitū ſit abſolutum, & plurimæ nihilominus ipſius partes ad aliud referantur. In definitione Naturæ referuntur ferè ſingulæ partes, ut uocula cauſæ, item motus: ac nihilominus definitione, & definito, ſignificatur res abſoluta, nempe ſubſtantia. Natura enim in rebus non eſt accidens, ſed ſubſtantia, ut liquet ex phyſicis Ariſtotelicis. Cæterum Relata definiuntur hoc modo, ut pro genere ponatur genus definiti, ſed pro differentia oppoſitum definiti, id nimirum ad quod refertur. Sic definitur pater, ut ſit efficiens filij. Et duplum, ut ſit exuperantia ſubdupli. De formulis harum finitionum, diximus in Commentarijs noſtris in librum ſextum Topicorum Ariſtotelis, loco 57. inde, qui uolet, quæ perti-

Ariſtotelis argumento reſpōdetur, qui πρός τι, uidetur dicere morbum eſſe.

Quomodo definiantur uera Relata.

Aliud argumentum quo oſtēditur morbum non referri ad ſymptoma.

Morbus & ſymptoma ſimul ſunt tempore, ſed non Natura.

nent ad finitionē Relatorū *reqrat.* Nec *moueor autoritate* Fernelij, *cui ſane multū tribuo, ut par eſt:ſed ſi in* Relatis *ponit morbū, nullā cau ſam uideo propter quā ei aſſentiar.* Opinione *Anonymi Sanitas ſic refertur ad actionē naturalē, queādmodū* Pater *refertur ad filiū.* Pari *modo refertur morb. ad ſymptoma.* Relata *ſunt natura ſimul. Sed ſubiectum natura prius eſt, et proprietas poſterior.* Nam *præcedit finitione morbus, item ſanitas.* Propriū *ſanitatis eſt, nempe poſſe ſecundum naturā agere & pati.* Item *propriū morbi, quod eſt,* Impeditā *eſſe actionē corporis animati propter morbū, definitione poſterius eſt morbo.* Ac *ſæpe cōtingit, etiā ſymptoma notum eſſe, ut interim morbus ſit incognitus.* Quomodo *igitur morbus & ſymptoma pro* Relatis *habebuntur, cùm neq; natura, neq; notitia ſint ſimul?* Etenim *ſimul ſunt* φύσει ἅμ οὐδέτερον οὐδετέρῳ τοῦ εἶναι ἐστὶν αἴτιον. Sed *quis ne ſcit, morbum, ſymptomatis eſſe cauſam: & Sanitatem, cauſam actionū naturalium?* Proinde *hæc, ne uidear aduerſario meo* φίλαυτος, *miſſa facio: qualis enim ſit philoſophus, uel potius* Suffenus, *unicus hic libellus teſtatur: ut mirum non ſit, ſi profligandā è ſchola medicorum philoſophiam putet, quoniam erraſſe non uult uideri, reprehendi moleſtiſſimè fert, et contra eos*

qui

qui diſſentiunt, inuehitur acerbiſsimè. Paulò pöſt, reprehendit me, quòd κατὰ σχέσιν *fientes morbos, in morborum quoq; genere dixerim eſſe. Quandoquidem ſymptomatibus interdum grauiſsimis inſiſtent, quũ ſymptoma conſtet eſſe inſeparabile morborum acidens: cui dubium ſit, quin morbi ratione communi huiuſmodi ſchetici contineantur affectus?* De *his diximus ſuprà, quòd tales ſint affectus, qui ſuapte natura ſimul ut cauſæ effectrices fuerint ſublatæ, euaneſcant unà cum grauiſsimis interdum ſymptomatibus, quæ iſtius generis* FIENTIBVS *morbis cõuenire negat* Anonymus, *contra* Galeni *tamen autoritatem. Is uerò in* Locis *affectis commemorat ſuum quendam acerbiſsimum dolorem, quem ſit paſſus propter uitream pituitam adhærentem inteſtinis, quo ſit mox liberatus, excreta pituita.* Deinde *cõtra Iulianum diſputans, oſtendit morbos qui habent plethoricam hypotheſin, & ſint fientes adhuc, uacuatis humoribus: ſimul ipſos quoq; cum ſuis ſymptomatibus deſinere.* Diluit *poſtea rationes meas, quibus ego (fretus autoritate & ſententia* Galeni*) oſtendi, plethorã aliquando cauſam eſſe antecedentem & coniunctã, itẽ fientiũ morborum, & ſymptomatum.* Aduerſarius *mihi ratione hac occurrit plethoræ, qua nimirum ipſa*

Tertij modi FIENTES morbos, contineri genere morbi demõſtratur.

Fol. 174.

ipſa per ſeſe habeat accidentia quædam, non ſymptomata, ut ruborem, diſtenſionem, grauitatem corporis, non autē quatenus ſit cauſa cō iuncta morbi nondum confirmati. Sic ſemper tergiuerſatur, ut aliquid dicere uideatur: cùm tamē nihil dicat. Sed hæc tractata ſunt à nobis ſuperius. Me rurſus ad philoſophiā meam relegat: itaq; quæ honori & laudi duci debebāt, ea probro & uitio mihi uertit, quod eruditos uiros & prudentes minimè decet. Quòd ſi tantopere ego philoſophiæ ignorantiā exprobrare ei uellē, primùm quāto id iuſtius facerē et rectius, deinde quàm ſæpe id facere potuerim, intelligent hi qui philoſophia inſtructi, me non temerè litigare cum illo de Cauſa continente animaduertunt. Quæ poſtea ſequuntur (nam multus eſt in eo, ut probet plethoram nūquam eſſe cauſam morborum fientium, habentium ſymptomata) ridenda magis quàm refellenda uerbis, quoniam nihil ad propoſitum faciunt, tametſi tenebras quaſdam indoctis lectoribus

Fol. 178. offundant. Reprehendit me deinceps, quòd obſcurè & ſophiſticè differentiam pathematis & morbi deſcripſerim: cùm ipſe tamen magis ſit reprehēdendus, qui propter ignorantiā hanc, negat pathemata habere ſymptomata: nec intelligit duplicem rationē, aut potius triplicem

FIEN-

FIENTIVM *morborũ, à Galeno uſurpari. Quocirca per poſticum ſe (ut dicitur) proripit, metuens, ne noſtris tricis teneatur: ob id fuga ſibi conſulit in tempore, quod propriũ eſt callidorum. Sæpe dicendum illud mihi eſt, tot ferè errata in libello eſſe* Anonymi, *quot ſint argumenta. Quale eſt illud etiam, quo* γιγνόμενον νόσημα, *id eſt, fientẽ morbum, non eſſe* κατὰ σχέσιν *morbum, nititur probare. Scribit autem Scheticum morbum habere ſymptomata. Sed fientẽ et cum antecedente cauſa coniunctũ, non habere. Metuit, ne ſi fateatur ſymptoma adeſſe fienti & adumbrato morbo (ſic enim eos appellare ſolitus fuit* Archigenes) *cogatur ipſius quoq; cauſam aliquam coniunctam fateri. Miſcet igitur & confundit Galeni dogmata, ne parum Galenicus hac in diſputatione uideatur.* Fientis *morbi ſymptomata eſſe, docet* Galenus *libro primo de* Locis *affectis, tam apertè, ut mirari ſubeat, quî potuerit hæc diſsimulare, qui toties illum non modò priuatim, ſed etiam publicè prælegerit.* Afferam *unum duntaxat uerſum, quo perſpicuè docet,* πάθος, *habens ſymptomata (quòd ipſum aliud ſit nihil quàm* Fiẽs *morbus) ſic eſſe cum ſua cauſa coniunctum, ut ſimul ſublata ea, deſinat etiam* πάθος *ipſum, quoniam per ſe non ſit* μόνιμον. Eius *hæc ſunt uerba:*

uerba, πρόσεχε τὸν νοῦν· ἐνίοτε μὲν ὑπὸ αἰτίας τινὸς γίνεσθαι τὸ πάθος, ὃ μὴν ἤδη πῶς μόνιμον ἔχει διάθεσιν ἐχωρισθείσης τὸ αἴτιον. Quo in loco, uox πάθους ſignificat non motum, ſed affectum quendā impedientem actionem: quem poſtea diuidit in duas ſpecies, ut unus nimirū ſit permanens, alter uerò non permanens, ſed σχετικός. Proinde talem affectum, ut Fientem, ita quoquè σχετικὸν appellari, manifeſtum eſt ex uerbis Galeni, quæ ſunt in 8. libro Methodi, quæ ſic habent, ὁ γὰρ ἔτι γινόμενος πυρετὸς, ἀρθέντος τοῦ αἰτίου, συναναιρεῖται καὶ αὐτός. Quomodo autē tolleretur febris quæ nō eſſet? Nam quæ fit, & nondū eſt, nō tollitur, ſed ne fiat, præcauetur. Quin ſchetica quoquè febris dicatur hæc quoquè: quæ cauſa carens facilè ſoluitur, ut ephemera, haud ſanè negauerim: ſed hæc Fiens Schetica non eſt, ſed facta Schetica febris: non enim propter cauſam ſibi coniunctam, dicitur fieri. Sed ut Demoſthenes alicubi inquit, ἡ πονηρία δεῖται προφάσεως, ita falſitatis quoquè nunquam poteſt eſſe, neq; ſimplex oratio, neque excuſatio: quare miſſa facientes hæc, ad alia nos conferamus. Eadē ſubtilitate ut reliqua reprehendit & refellit Anonymus: quòd becticon et monimon hoc loco pro eodem ſim interpretatus. Quippe ἑκτικὸν ſit ut ſpecies μονίμου. Fateor ſanè ali-

Diuidit Galenus morbū in genere, in pathema, & in morbū abſolutum, ſeu μόνιμον.

Alius eſt morbus ſimpliciter σχετικὸς, & alius FIENS σχετικός.

nè aliquando uſurpari ἑκτικὸν *ſic, tanquã ſpeciẽ* μονίμου*, quo in genere becticos morbos appella mus: nõ tantùm eos qui ſimpliciter permanẽt, ſed etiam qui omnino non, aut difficulter curari poſſunt, Galenus autem quando diuidit in Methodo morbos in* σχετικοὺς*, et* ἑκτικοὺς*, uocabulo* ἑκτικοῦ *nihil aliud ſignificari quàm* μόνιμον *&* δύσλυτον *utcũq; uoluit, quod ipſo uerborũ contextu poteſt intelligi etiã à mediocriter doctis. Mihi poſtea inſcitiam exprobrat Galenicorum ſcriptorum, in quibus ſe ſolùm putat ſapere, reliquos uolitare tanquam umbras, qualem ſcilicet apud inferos Tireſiam fingit Homerus in Odyſſea. Quid & quantum ego præſtare in Galenicis ualeam, alijs, non tibi, qui omnia detrahis omnibus, permitto iudicium. In libro meo de Cauſa continente, demonſtraui, ſi Morbus definiatur ut Genus (quoad uidelicet ſub ſe continet permanentem & item fientem* κατὰ σχέσιν *morbum) pro differentia non poni ab ipſo, ut ſit* μόνιμον*, ſeu permanens quiddam. Idq; ipſum facere Galenum oſtendi in Methodo: quum illic apertè fateatur, ad morbi rationem nihil facere, ut ſit quiddam permanens: quandoquidem momentaneus etiam affectus impediens actionem, & ſymptomatis moleſtus poſſit & debeat dici morbus. Vtitur autem Gale-*

nus

nus eo loco uocabulo ἐπιμόνε, quod perindè ſum interpretatus atq; ſi ſcripſiſſet μόνιμον. Nam perſeuerans, & permanens, ego quidem iudico non differre, ſed diuerſum uidetur huic Ariſtarcho. Μόνιμον, is cenſet ad rem quæ facta ſit, etiam ſi duntaxat momento perduret, pertinere. Ἐπίμονον autem, ad id quod aliquantiſper duret, & permaneat. Quòd ſi ergo μόνιμον dicitur quod factum ſit, quantumuis ſubitò etiam poſtea deſinat, ſequitur profectò ut morbus FIENS, & leuiter impreſſus, remotione cauſæ ſubitò deſinens, morbus quoq; ſit & dicatur à Galeno: ut neceſſe nō ſit, quò appellationem morbi ſortiatur, aliquātiſper perdurare affectū, id eſt, ἐπίμονον eſſe, ſublata cauſa. Vt uerbi gratia: Si propter humorem uitreum, tēſio (quæ eſt ſpecies ſolutæ unitatis) accidat in inteſtinis cum ſæuiſſimo dolore, ſi mox ea deſinat tenſio, excreto humore, nónne nihilominus erit morbus? Quòd ſi non eſt ſatis, Factum & generatum à cauſa eſſe, ſed ipſum quoq; permanere ſine cauſa aliquantiſper oportet: ſequitur, ut omnino pro differentia morbi ſit ἐπίμονον, & nequaquam μόνιμον conſtituendum: quam tu contra Galeni ſententiam, more & ritu Methodicorum, omnibus morbis affingis differentiā, eáq; Fientes morbos, nempe παθό-

Morbus in genere definitur à Galeno in Methodo. Aliâs in ſpecie ipſum finit, quando μόνιμον differentiam ei addit.

pe παθήματα, diſtinguis à morbo: quatenus eſt genus, quum tamen pathema (etiam te concedente) non diſcrepet à morbo ratione alia, quàm qua poteſt & ſolet morbus etiã ſine cauſa aliquãtiſper perdurare: pathema autẽ ſubitò deſinit, ſimul ut cauſa effectrix fuerit remota. Tu uerò morbum eum eſſe negas, quemadmodum & Methodici, qui ſimul ut cauſa deſierit, ipſe quoq; deſinat. Quare Galenus, quãdo definit morbũ in ſpecie, & ipſum cõtra pathema diſtinguit, pro differentia non debuit uti uocabulo μονίμῳ, ſed ἐπιμονίμῳ, in lib. 1. de Locis affectis, in quo πάθημα, et morbũ in ſpecie, nulla re alia diſcrepare oſtendit, quã permanẽtia et nõ permanentia διαθέσεως non naturalis, reſpectu cauſæ effectricis. Eo enim loco μόνιμον ſignificat διάθεσιν, non quæ ſtatim cum cauſa euaneſcit, ſed perdurat aliquantiſper remota cauſa. Apparet itaq; μόνιμον & ἐπίμονον idem ſignificare apud Galenum: nec obſcurũ eſt quare in Methodo, & in prima de Differen. ſymptom. lib. morbũ definierit, nulla mentione facta permanentiæ. Sed in primo de Locis affectis libro, cùm diſcrimen fientium morborũ & perfectorum morborum, uellet definiendo explicare, Morbo in ſpecie, id eſt, ſimpliciter morbo, μονίμῳ uoculæ differentiam adiecit,

Quomodo pathema & morbus permanēs differant.

ſpecies diuerſas morborum declarare cupiens: quarum una, πάθημα eſſet, & eodem momento quaſi cum ſua cauſa deſinens. Altera, morbus: quæ ſine cauſa, efficiente ipſum, perduraret. Quò reſpicientes Methodici, dixerunt, morbū quatenus exiſtat, neq; Antecedentem, neq; continentē habere cauſam, ſed ipſum per ſe quiddam eſſe abſq; cauſa ſubſiſtens: de quibus ſuo loco dicemus, ac docebimus Anonymum à dogmaticis, tanquam transfugam, defeciſſe ad Methodicos, profligatione hac continentis cauſæ. Ergo μόνιμον non ſignificat permanentiam momentaneam, ſed durabilem quandam, & ἐπίμονον, ut uocat aduerſarius. Alioqui quid prohiberet, quo minus πάθημα quoq; diceretur μόνιμος διάθεσις? quandoquidem & ipſius permanētia ſit momētanea. Hæc nō animaduertēs Anonymus, extra genus morbi collocat παθήματα, quæ tamē à Galeno pro morbis haberi, definitio in Methodo probat: & cùm grauia quoq; ſymptomata non patiantur tales affectus, pro non morbis haberi. Omne igitur γιγνόμενον νόσημα dici poteſt etiam σχετικόν, quanquā non omne σχετικὸν eſt γιγνόμενον. Nam quod caret cauſa, & facilè ſoluitur, id nimirum σχετικὸν dicitur, ſed non γιγνόμενον νόσημα, qualis eſt febris ephemera. Deinde ἑκτικὸν

Sine cauſa, febris eſt σχετικὸν νόσημα.

de ἑκτικὸν omne eſt μόνιμον, ſed non omne μόνιμον eſt ἑκτικόν: cùm ſint etiam σχετικοὶ quidam morbi, μόνιμοι quidem, ſed ob id tamen non ἑκτικοί. At γιγνόμενα νοσήματα, neq; μόνιμα ſunt, neq; ἑκτικὰ, ſed duntaxat σχετικὰ ſeu pathemata. Morbus autem, quatenus eſt uocabulum generis, harum differentiarum expers eſt: & ſimpliciter ſic definitur, ut ſit diathcſis contra naturam primò impediẽs actionem. Quæ niſi intelligant ſtudioſi, ex tricis his Apinis nunquam ſe euoluent, quibus omnia inuoluit hoc libello aduerſarius. Riſiſſe ſe porrò cum multis ſcribit Anonymus, haud dubiè cũ philoſophaſtris quibuſdam gnatonibus, quibus ille perſuaſerat me erraſſe: quia ſcripſerim, intemperiem eſſe cauſam morbi aliquando, & non ipſum morbum. O ſtultum cachinnũ eorum, qui rident id quod uerũ eſt. Intemperies quaſdã eſſe morbos, non neſciebam. Num uerò error eſt, ſi quis intemperiem aëris, aut aquæ aut alterius rei, morbi cauſam appellet? Poſtea redit ad Cramben ſuã decies recoctam, negans FIENTES morbos eſſe Scheticos, contra manifeſtam autoritatem Galeni, qui σχετικὸν πάθος nihil aliud eſſe dicit, quàm ὔλυτον πάθος. Sed fiente morbo, ſeu pathemate, nihil ocyus euaneſcit, remotiõe cauſæ ſubitò quaſi deſinens. Nec uerò ratione morbi

Morbi ut generis, Finitio.

quatenus eſt genus, quicquã intereſt quàm diu maneat ſine cauſa morbus, cùm ad FACTI *eſſentiam ſatis ſit uel momento duraſſe ſymptomatibus ſuis conſpicuum, autore Galeno in Methodo. Aduerſarius autem dũtaxat effectũ, non item cauſam, ἀπὸ τῆ σχέσεως denominari arbitratur, ut appareat ipſum in philoſophorum libris parum diligenter eſſe uerſatũ. His etenim autoribus, cauſæ etiam dicuntur Scheticæ, quæ nimirum ut deſierint, effectus quoq; deſinũt, ut ſole decedẽte, ſimul etiã deſinit illuſtratio. Quã bellum porrò etiam eſt illud argumentũ, quando ſcribit plenitudinem ſeu plethoran non eſſe cauſam continentem, quocirca ſequi ut ſi morbus aliquis per eam ſit excitatus, ut eius continens cauſa eſſe nequeat. Ipſam quidem per ſe plethorã negamus et nos cauſam eſſe Continentem. At ſecundũ accidens & ex hypotheſi coniunctam dicimus, ut morbi quidam σχετικοί, ſi quando plethoricam habuerint hypotheſin, ut Galenus loquitur in libro contra Iulianũ: tum plethoran cauſam eorum continentem (à qua appellatione, ne Galenus quidem abhorret) dicimus. Ex numero enim Antecedentium cauſarum per ſe, cùm ſit plethora, non niſi ex hypotheſi & propter effectum, nempe ſecũdum accidens, rationem habebit continentis aliquãdo cauſæ.*

Non tantum effectus dicũtur Schetici, ſed etiam cauſæ.

Aliud argumentum.

Plethoran ex hypotheſi & per accidens interdum eſſe continentem.

Fol. 185.

cauſæ. Propter plethoran, quatenus eſt Antecedens cauſa, ſic morbus fieri dicitur, ut detractione plethoræ curari ipſum (quandoquidem nondum ſit) non oporteat, ſed ne fiat, præcaueri. Iſto modo FIENTIS morbi (qui nimirum πάθημα non ſit, & ſpecies Morbi) negamus plethoran cauſam eſſe coniunctã. Nihil enim cum eo, quod nõdum eſt, cõiungitur. Sed motionis reſpectu coniuncta eſt cauſa, qua nimirum generatur morbus: quippe ad hunc modum fictis morbi, nulla ſunt ſymptomata, nulla curatio, ſed tantùm præuiſio, & cautio, ne generetur ſcilicet. De duplici differentia hac Fientis morbi, in hypotheſib. noſtris diximus: ut mirum non ſit aduerſarij rationes ſubinde, propter homonymias claudicare. Pleraq; ſunt ſuperius confutata, ut eadem ſubinde repetere, uideatur eſſe ſuperuacaneum & inutile. Nunc tantummodo Epilogum adijciam ex ipſius libello, quo nolens, uolens, in Fientibus morbis κατὰ σχέσιν, cauſam Continentem eſſe fatetur. Fol. 189.
Sic autem ſcribit:

Falſum præterea eſt, quòd ea cauſa, quæ morbum conciliauit leuem & momentaneum, dicatur Continens. Nam leuis & momentaneus morbus affectus eſt, & permanentiam habet, etiam ſi momentum tantùm durat, quapro-

pter Continentem cauſam non habet.

Quæro ex aduerſario, quomodo momentaneus ſit, ſi permanentiã habeat, quum permanere & momentaneum eſſe, id eſt, non permanere, ſint oppoſita? Aut ſi momentaneus quoq; permanet, permanẽs erit aut ſine cauſa, aut cũ cauſa. Si cum cauſa, πάθημα ſcilicet erit, & fiens morbus. Permanens ergo, cùm cauſa erit, & ſine cauſa: non permanens, ſed momentaneus. Si ſine cauſa, ſimpliciter utiq; permanens erit, id eſt, per ſe, & non propter cauſam, qua ratione momentaneus haud erit: id eſt, ſimul cũ remota cauſa, deſinens diatheſis contra naturã non erit. Ex quo concludendũ, momentaneum affectum habere cauſam coniunctam, quemadmodũ permanens talem nullã habet, quatenus eſt, ſed Antecedentem duntaxat: qua generabatur, aut præincipientẽ, quod ex hypotheſibus Anonymi ex neceßitate uerũ erit, ut falſum illud quod dixerat, eſſe ſcilicet momentaneum affectum, & nihilominus eundem permanentem. Præterea idem malè argumentatur, quando ſic ſcribit:

Anonymus ultro cõcedit momentaneũ morbum habere cauſam continentem.

Fol. 192.

Si craßi ſucci cauſa eſſent Continens, tum plethora etiam eſſet cauſa continens.

Reſpondeo, quoad generationis cauſa antecedant craßi ſucci, eſſe Antecedentes tantùm.

Sed quoad ſimul ſint cum morbis, & quoad re motis ipſis deſinunt etiam morbi, cauſæ nimirum erunt coniunctæ, plethora quidem fientis κατὰ σχέσιν, ſed craſſus & impactus humor perfecti morbi, nempe obſtructionis, cauſa erit cõtinens. Sed de hoc dictum aliás. Perpetuò philoſophiæ infeſtus aduerſarius negat, Ariſtotelem miſcendum cum Galeno. Illud uerò ut Dictator quidam, non ut diſputator præcipit: quare alios quærat, quibus iſtud perſuadeat: mihi & Galeno id nunquam perſuadebit, ut ſine philoſophia eruditum aliquem eſſe medicum opinemur. Mirum eſt, quòd ſymptomata cauſam habere coniunctam fatetur: & interim nullum eſſe morbum, qui cauſam hanc habeat: quorum tamen plurimos conſtat, tam non poſſe abſque cauſa definiri, aut demonſtrari, quàm ſymptomata non poſſunt abſque morbis, tanquã cauſis, definiri aut demonſtrari: de quibus ſuprà abundè ſatis dictum. Veruntamen Anonymus, craſſum humorem affirmat eſſe ipſam obſtructionem, ſeu morbum ipſum. Quòd ſi eſt, quid ni morbus quoq; ſit ſymptoma ipſum, nõn autẽ cauſa ſymptomatis? Nam quemadmodum demonſtratur ſymptoma ratione morbi, tanquã cauſa ſua, ita demonſtratur morbus quoq; : ut obſtructio paralytica, uel apoplectica, ratio-

ne uiſcidorum humorum impactorum, qui ſunt cauſa cum obſtructione iuncta, non autem ipſa obſtructio. Sed Aduerſarius *quia fortaſſe, aut neſcit, aut negat pertinaciter effectus per cauſas demonſtrari, uereor, ne fruſtra ſurdo (ut dicitur) fabulam narrem. Vnum eſt, in quo maximè peccat aduerſarius, quòd nimirum eorum quæ fiunt, duntaxat cauſas eſſe arbitratur, ſed eorum quæ ſunt extra motum, nullam putat eſſe cauſam: quod iam ſæpius oſtendi falſiſsimum eſſe, & redolere neſcio quam* Analyticæ *doctrinæ inſcitiam. Hac abſurditate hypotheſeos cogitur aliâs morborum in genere ſubſtantiæ, aliâs in* Relatiuis *ponere. Deniq; cogitur non ſolùm* Galeno*, uerùm etiam ſibi ipſi contradicere: quoniam ut uera ſunt conſentanea ueris, ita falſa non modò à ueris diſcrepant, ſed ipſa etiam inter ſe pugnare ſolent falſa.* Vltimo

Fol. 200. *conflictu me reprehendit, quòd* Antecedentem *cauſam, temporis gratia, non dixerim proximã eſſe morbo.* Timet, *ſi proxima non ſit, ne inter ipſam & morbum cauſa cõtinens interueniat.* Supra *reſpondimus, quòd mouens cauſa reſpectu eius quod mouetur, ſit per ſe immediata, & proxima cauſa, quatenus uidelicet ſimul ſunt.* Per *ſe enim et actu, cauſa cum ſuo effectu, ad quem per ſe refertur, ſimul eſt, nec aliquod*

μεταξὺ poteſt interuenire. Ergo cauſa antecedens(quia mouens & efficiens)per ſe & proxima cauſa dicetur effectus ſui ratione: nempe Motionis & non morbi. Habitus autem(ut uerbi gratia) morbi, per ſe non erit cauſa, ſed per accidens. Fieri enim nequit, ut cõtrariorum ſit una per ſe cauſa. Quare Antecedens, ſi per ſe cauſa erit Motionis, qua generatur morbus, neceſſe eſt, ut per accidens eſſentiæ morbi, ſeu ſtatus, ſit: quemadmodum præſentia Nautæ, per ſe cauſa eſt conſeruatæ nauis, idem quoq; ſubmerſæ cauſa aliquando dicetur, ſed per accidens, quia ſcilicet à gubernatione diſceßit. Per ſe cauſæ effectus alicuius eſſentiæ ſunt materia uel ſubiectũ et forma, ut morbidi, cauſa eſt ſubiectum corpus, & eiuſdem contra naturam διάθεσις, quæ dicitur morbus. Quoniam morbi per ſe nõ eſt materia, quandoquidem accidens per ſe nec generatur, nec corrumpitur, nec conſtitutionem aliquam habet, cùm uidelicet non habeat materiam, nec ipſum per ſe aliquid eſſe poßit, ſed duntaxat ſit aliquid in aliquo: quod ipſum per ſe ſit quid, & ſimpliciter οὐσία. Huius οὐσίας, partes ſunt materia & forma, ut eius quod ſecundum accidens eſt, partes ſunt, οὐσία ſubiecti, & ſpecies accidentis: quod compoſitum, concreto accidentis intelligitur uocabulo

Probatur antecedentẽ cauſam per accidens dici cauſam reſpectu eſſentiæ effectus.

Quæ ſint, & quot cauſæ per ſe, eſſentiæ rerum declaratur,

quemadmodum à morbo morbidum, & ab albedine album dicitur. Morbidum igitur, non autem morb. pro cauſis, per ſe habet ſubiectũ corpus & διάθεσιν. Aliquãdo cauſa media interuenit inter διάθεσιν & ſubiectũ διαθέσεως, ut defectionis luminis lunæ cauſa dicitur interpoſita terra, et cerebri in apoplexia obſtructiõis cauſa eſt humor impactus. Hæ ſunt proximæ et immediatæ cauſæ effectuũ: nequaquã uerò motus Antecedentis per ſe et proxima cauſa eſt effectus, ſed generatiõis effectus: quia nõ ſunt ſimul motus et effectus, quoniã loco, tẽpore, definitione, diſcluſos eſſe cõtingit: quod ipſemet fatetur Anonymus, qui ſeparata dicit ab effectu eſſe cauſam Antecedentẽ, ſed cõiunctas cauſas ſeparari poſſe negat. Vrget autẽ aduerſarius hoc maxime, quòd ſcilicet effectus ſeu morb. ſit extremũ motionis, quæ proficiſcatur à cauſa Antecedente, inter quam & ipſum effectũ, ut nullus alius motus, ita nulla cauſa alia interueniat. Concedimus ſanè, ratione motionis, nullam interuenire aliam, ſed eſſentiæ rei ut aliæ ſunt partes per ſe, ita quoq; cauſæ erunt aliæ. Nec ſi, quatenus morbus eſt extremũ motionis cauſæ Antecedentis, nihil inter ipſum & motũ interuenit: idcirco quemadmodum immediatus eſt motus reſpectu habitus, ita quoq; per ſe & proxima

atq;

atq; immediata cauſa erit eſſentiæ ipſius, qua nimirum Eſſe dicitur, & non Fieri. Sunt enim & ea quæ ἐφεξῆς dicuntur, immediata: ut immediata ſunt unitas, binarius, ternarius, item lineæ punctum, quo terminatur, ἐφεξῆς eſt: item habitus deinceps ſequi motionem dicitur: quoniam inter illud quod eſt, & illud reſpectu cuius eſt deinceps ſeu ἐφεξῆς, nihil interuenit quod eiuſdem ſit generis, ut inter motum & habitum non interuenit alius motus quiſpiam, aut alius habitus. Et hoc ſanè modo motus & habitus nullũ μεταξὺ dicũtur habere, et immediatá ſunt, nõ quia immediata autẽ, unũ ob id reſpectu alterius per ſe et proxima cauſa erit. Nam ut linea nõ eſt cauſa per ſe pũcti terminãtis ipſam, nempe priuationis ſuæ, ita mòtus Antecedentis cauſæ, qua continetur priuatio habitus, per ſe cauſa habitus nõ erit, quantũuis deinceps et immediatè ſequi ipſum motũ dicatur. Ex quo cõcludendum, omnem per ſe cauſam etiam immediatum quiddam eſſe: nõ autem uiciſſim, quicquid immediatum: id ipſum cauſam quoq; per ſe eſſe, quæ ſcire ex phyſicis Anonymum oportuit, cùm cauſæ Antecedentis definitionem in medium afferret: qua nimirum unicè ſubnixus, nõ intelligit, quàm ruinoſum ſuis ſophiſmatibus fundamentum ſubſtruxerit. Quin etiam ſuprà fuit

Differunt immediatum eſſe, & cauſam per ſe eſſe.

fuit demonſtratum, nullam partem motionis quæ pendet ex Antecedente *cauſa, ſic proximam eſſe, ut non alia poßit eſſe propior.* Q*uo modo igitur cauſa partis alicuius, proxima habitus erit, cum ratione cuiuſq; partis, in quas diuiduus eſt motus, interuentu medij cuiuſdam temporis & loci diſcludatur, & ſimul cùm effectu eſſe non poßit?* Nam *ut maximum, & minus, in quantitate, ſed minimum ob id non reperitur: ita ſi longinquißimum, & propius, in motu poteſt deſcribi, ob id tamē proxima pars ipſius erit nulla.* Q*uibus enim diuiditur continuum quoduis, hæc inter ſe proxima nullo modo poſſunt eſſe: quare nec ſimul eſſe poſſunt, ſiquidem* SIMVL *dicantur, quæ nullum habent* μεταξὺ. Q*ua ratione cauſam, & effectum propriū ſimul eſſe dicimus, ſed effectus, & partes motionis: hoc modo nequaquam* SIMVL *eſſe poſſunt dici.* Ergo *inter partes motionis, et habitum, ſemper aliquid erit* μεταξύ. *Hactenus oſtenſum eſt, motum antecedentis cauſæ & habitum, quoad immediata ſint, unum reſpectu tamen alterius, rationem non habere* PER SE *cauſæ.* Aut *ſi partes motus cōſideremus reſpectu effectus, tū nullā fore proximā et immediatā: qua cōſtituta parte, neceſſe ſit effectum deinceps et* ἐφεξῆς *ſequi.* Sed *de his copioſius ſuprà docui*

Nulla pars motus antecedentis cauſæ, neq; immediatè, neq; ſimul eſt cum effectu.

Motus & cauſa antecedens ſunt SIMVL. Item eſſentia & cauſa coniuncta, ſunt SIMVL.

docui. Anonymus ſuis quibuſdā προλεγομένοις, quæ ſibi finxit pro re nata, friuolas rationes ſu perſtruit: quæ nihil aliud ſunt, quā paralogiſmi & Sophiſmata: totam de cauſa Continente diſputationem & ueritatem peruertentia. Pro me reſpondi hactenus, meamq; contra illum defendi cauſam. Nunc tertius eſt, qui ſimilibus propémodum ab ipſo uexatur argumentis, cui quoad poſſum & licet, ſuppetias feram, ut etiā hoc in aduerſario uires ſuas fractas & debilitatas ſentiat Anonymus. Obijcit is primū Marco Antonino Montiſiano, quòd mecū ſentiens erret. Poſtea ſuo more, in ipſius inuehitur argumenta, ſua uerò ad cœlum uſq; laudibus euehit. Montiſianus, febrem putridam dicit habere cauſam coniunctā. Tametſi enim, materia exhalante, remaneat nihilominus calor quidam, eum tamen calorem, aut non eſſe putridam febrim, aut duntaxat reliquias quaſdam caloris febrilis opinatur. ſuprà cùm diſputaret Anonymus contra Valleriolam, febris putridæ paroxyſmum dixit eſſe pathema, & non morbum. Quia uidelicet ſimul cum putreſcente humore incipiat, itemq; deſinat, idcirco ut pathematis cuiuſdam, & non morbi cauſam ipſius coniunctam eſſe, fatetur putreſcentem humorem. Sunt autem hæc ipſius uerba,

Pro Marco Montiſiano argumenta.

Nam cùm acceßio intermittentium ſebrium non ſit, niſi humoris putridi motus, quid mirũ ſi ſoluto uacuatoq; humore illo, & ipſa conſeſtim ſoluatur?

Si ſoluitur ſebris, exhalante prorſus uapore putrido, quid impedit, quo minus uapor talis cõiuncta ſit cauſa ſebris putridæ? Nũc aliud dicit, & ſebrim relinqui, poſt diſcußionem etiã putredinis, affirmat. Viderit ergo quàm ſibi dicat conſentanea, quando aliâs cum cauſa tolli ſebrim, aliâs ſublata, nihilominus remanere eã affirmat. Febris certè intẽperies eſt calida, quæ in corde primùm exardeſcit, ſed non eiſdẽ ſemper cauſis, nec primo eodem ſubiecto. Cauſæ ephemerarũ & hecticarũ ab effectu, quem excitarunt, ſunt ſeparabiles. Putridæ cauſa non eſt ſeparabilis, eoq; differt putrida à reliquis duobus ſebrium generibus, autore Galeno in Methodo. Nec ſubiectũ primũ, ſeu πρῶτον δεκτικὸν, idem eſt. Nam primò in ſpiritu cordis incenditur ephemera, in humoribus putrida, in ſolida ſubſtantia cordis inflãmatur hectica. Putridæ porrò paroxyſmum tãtiſper durare, autor eſt Galenus in poſteriore libro de Differentijs ſebrium, donec omnis uapor putridus exhalarit: cuius qualitate & quantitate partes & motus dißimiles paroxyſmi diſpẽſari ſoleãt.

Cùm

Cùm ergo ſecundum Galenũ, putrida, cauſam habeat, & cum illa eadem cauſa febris hæc incipiat, & deſinat, quid reſtat aliud, quã ut eam cum febri coniunctã dicamus? Quòd ſi poſterius etiam calor quidam permaneat, exhalante putredine, & penitus profligata, ut calor quidam ſit, febris tamen non erit. Aut ſi febris erit, profectò eam uel diariã, uel hecticam eſſe oportebit, quorum utrunq; dictu ſit abſurdiſsimum. Quis enim unquam ex putrida deſinente fieri ephemerã dixit? Nã poſt duodecim horas, qui tertiana pura laborat, deſinit febricitare. Si tum incipiat ephemera, ultra triginta horas febricitare oportebit tertiana breuiſsima laborantem. Ergo calor ille quantuluſcunq;, febris non erit, ſed ueſtigia quædã erunt & reliquiæ paulò antè deſinentis febris. Quemadmodum imbecillitas etiam in Neutralitate conualeſcentiæ (ut uocant) morbus non eſt, ita calor ille, morbus: & febris non erit, qui poſt finem febris relinquitur. Non enim quod calidius æquo eſt, id omne pro febri habendum. Idipſum quod dicimus, ex curationis quoq; modo eſt euidens. Præſenti paroxyſmo omnia adhibentur, ut quàm primùm quod putreſcit, expellatur è corpore per urinas, per uentrem, per ſudores, per uomitum, quoad natura tales excretiones ſuſtinere poteſt,

Quare putrida cauſa dicatur habere cõiunctam.

Febris putrida materia exhalante nullã relinqui febrim aliam.

poteſt, et faciendũ id quidẽ idoneis remedijs, cu iuſmodi ſunt quæ facilè ſubducunt humores ad meatus quib. ſunt excernẽdi, et nullũ corpori ca
Method. li. 11. *lorẽ cõtra naturã conciliare poſſunt.* His enim *(inquit* Galenus*)* & *cauſa,* & *febris ipſa profli gari ſolet à corpore,* τὸ μὲν ἤδη διεφθαρμένον ἐκκενοῦντες παντὶ τρόπῳ, τὸ δὲ ὑπόλοιπον, αἰωρήσεσι μετρίαις, καὶ διαπνοαῖς εὐψυχέσιν, ἐς τὴν ἀκριβῆ συμμετρίαν ἐπαναγόντες. In *putridis non tantùm quod factum eſt, nempe præſentem febrim conſideramus, ſed reſpicimus etiam ad futurũ; non tantùm curationem, uerùm etiam cautionem illis adhibentes.* Nam *quoad eius fieri poteſt, non tantùm febri ſua cauſa ſubtrahenda, ſed proſpiciendum ut cauſæ* & *materiæ etiam putredinis ſubmoueantur: quod præuiſionis, non curationis ſit propriũ, pertinẽs ad cauſam antecedentem.* Qui *calidis medicamentis utũtur, ait* Galenus, *non tantùm febrim augent, uerùm etiam cauſam febris,* & *futuræ putredinis materiam promouent.* Ergo *congruentibus medicamentis non ſolùm præſens depellitur, ſed etiã futura præcauetur, quoad uidelicet putredinis cauſas prohibemus.* Nam *in factis febribus, nec amplius fientibus, tãtùm ad febrim* & *non item ad cauſam febris eſt reſpiciendum.* Sed *in habentibus cauſam qua poſſint ſubinde generari, non*

tantùm

tantùm curatio ad præſentem affectum,ſed cautio quoq; adhibenda ad profligandam cauſam. Ex *quo par eſt intelligi,putridæ febris duplicẽ cauſam eſſe, coniunctam ſcilicet putredinem cum paroxiſmo, &* Antecedentem*:reſpectu futuræ, mixtamq́; curationem ipſius eſſe cum* προφυλακῇ. Sic enim ſcribit Galenus: τῶν μὲν οὖν εἰρημένων πυρετῶν ἡ ὄντως ἐστὶ θεραπεία, καθάπερ γε καὶ ἡ τῶν ἑκτικῶν. ὅσοι δ' ἐπὶ χυμοῖς συνίστανται συνεπομένοις, ἡ λεγομένη θεραπεία τὴν προφυλακτικὴν προσείληφεν. Aduerſarius *noſter contendit,nullam eſſe febrim,quæ non ipſa per ſe,remota cauſa ipſius,poßit ſubſiſtere.* Quamobrem *nullam eſſe,quæ cauſam habeat coniunctam.* Probat *id teſtimonio* Galeni, *quod affert ex libro octauo* Methodi, *cap.* 1. *idq́; ſic interpretatur, tanquam ſi Galenus de toto genere febris illic loqueretur,& non de ſpeciebus duntaxat quibuſdam,quæ per ſe,abſq; cauſis efficiẽtibus & gignentibus ipſas, ſubſiſtant.* Eius *hæc ſunt uerba,referente* Anonymo:

> Itaq; *ſi iam præſens febris eſt,ſed cauſa quæ eam excitauit, iam deſiit, huc tantùm eius ſecundæ conſilium dirigetur,ut refrigeretur.*

Poſtea ſubiungit Anonymus: Quod *igitur hic generatim de omnibus febribus affirmat* Galenus*,hoc de putridis etiam dixiſſe illum,ne-*

mo ſanè mentis inficiabitur.

Parum religioſè citat interdum teſtimonia aduerſarius, & quacunq; ratione poteſt, ad ſuũ illa detorquet ſenſum. Rationes cauſæ & effe- ctuum in febribus, trifariàm hoc loco partitur Galenus. Nam omnis (inquit) eſt uel fiens tan- tùm, uel facta tantùm, uel fiens & facta. Si fiat tantùm, tum eſſe ſatis, ſi duntaxat prohibeatur cauſa. Vt ſi iamiam febricitaturo ephemera, propter abſtinentiam cibi, præbeamus cibum: qua cautione ſcribit Galenus, ſeſe uſum in quibuſdam bilioſis, ac prohibuiſſe quo minus febricitarent. Deinde, ſunt febres factæ nonnul- læ, quarum cauſa nulla ſit amplius, quales ſunt ephemeræ, & hecticæ, quæ iam penitus ſunt generatæ. Poſtremò, ſunt quædam fientes ad- huc, & aliqua ex parte factæ, quales ſunt pu- tridæ: quarum antecedentes etiam cauſæ ſunt, quæ tanquam fomenta futuræ febris, non tan- tùm præſens febris cum putrido uapore iun- cta, ſubmoueri debet. Ephemera, & hecti- ca, ſimplices ſunt febres, ſed putrida febris eſt cum putrido uapore coniuncta. Ergo ſecun- dum Anonymum, prius putredo, nempe cau- ſa amolienda: deinde febris curanda erit. Sed quæ nam illa? Nónne ſine putredine omnis aut Ephemera eſt, aut Hectica? Quod in uniuer-

Differentiæ febriũ, quoad cauſas.

ſum de febribus non dixit Galenus: id tanquam ſi καθόλου dictũ eſſet, uſurpat aduerſarius. Quod enim hoc loco ſcribit, pertinet duntaxat ad ephemeras, quarũ illic facit mẽtionem. Pertinet etiã ad hecticas, quæ ſunt nihil aliud, quàm ſimplices febres, id eſt, febres cum nullo humore cõiunctæ: nec antecedentẽ, nec cõiunctã cauſam aliquam habentes. Etenim *ſi humor, qui poteſt putreſcere, cauſa antecedẽs eſt putridæ, quid ni putreſcens iam actu eiuſdem ſit cõiuncta: quãdoquidem putridus humor febris ipſa eſſe non poßit?* Ex *quo perſpicitur, Anonymum hoc loco abuſum eſſe teſtimonio Galeni, ac proximè ſequenti non modò abuſum fuiſſe, uerùm etiam peruerſa interpretatione corrupiſſe, & quodammodo adulteraſſe genuinam Galeni ſententiam. Quanquam ex obſoleta quadam & barbara uerſione, teſtimonium illud citauit.* Redolet *enim neſcio quam phraſin inſuetam & putidam, quod petitum ex libro undecimo* Method. *cap. 4. ſic habet:* Falſa interpretatio morborũ & textus Galeni.

Nec fieri poteſt, ut febris ſanetur, niſi inhibita prius putredo ſit. Quare ſubmouenda ipſius cauſa eſt, ſi modò putredo ipſa prior, mox poſt ipſam febris ſanari debebit. Græca ſic leguntur: ἰαθῆναι δ᾽ ἀδύνατον ἄνευ τοῦ παύσασθαι τὴν σηπεδόνα, παύσασθαι δ᾽ οὐ δύναι.

ται μενούσης τῆς αἰτίας. ἐκκόπτειν οὖν χρὴ τὴν αἰτίαν αὐτῆς, εἰ μέλλει πρότερα μὲν ἡ σῆψις, ἐπ᾽ αὐτῇ δὲ ὁ πυρετὸς ἰαθήσεσθαι.

Horum uerborũ hic eſt ſenſus: Fieri *nequit ut curetur febris, niſi curetur cauſa ipſius, nempe putredo.* Putredo *etiã non penitus tolletur, niſi cauſa quoq; ipſius ſit profligata.* Quare *in primis auferenda cauſa putredinis, ſiquidem putredinem uolumus primùm, deinde febrim quoq;, quæ propter ipſam eſt, tollere.* Anonymus *naturalẽ illum ordinẽ, quem habet putredo cum ſua febre, quo cauſa actu, prior natura dicitur effectu, non tempore (quemadmodum etiam priorem ſymptomatè dicimus) tranſtulit ad ordinem temporis, quo poteſt effectus etiam ſine cauſa, temporis gratia, poſterior ſubſiſtere.* Sed *huiuſmodi effectum tempore poſteriorẽ, reſpectu cauſæ ſuæ dicimus eſſe* ἐφεξῆς, *ac non ſimul: pro eo ut coniuncta ſimul eſt cum ſuo effectu.* Proinde *in ephemeris primùm, ſi cauſa duret adhuc, remouendam eam conſulit, deinde febrim ſuis quibuſdã remedijs curãdam præcipit.* Sed *in præſentia non dicit, poſt remotam putredinem, curandam deinceps quoq; febrim: ſed in id incumbendũ, ut cauſam putredinis primùm auferamus: ſiquidem uelimus primùm putredinem ſublatam, deinde etiam propter*

Febris putrida nõ eſt poſt diſcuſſam putredinem, ſed eſt iuncta cum ardeſcente putredine.

pter

pter putredinem excitatam, febrim extinctam cupiamus. Itaque non dicit, febrim ἐφεξῆς poſt ſublatã cauſam, extingui: quemadmodũ in octauo libro ſcripſerat de Ephemera. Nam in hac poſſumus ipſam febrim per ſe, abſq; cauſa, curare. Sed eſſentia febris putridæ, ex cauſa: nempe putredine, pendet: quare nũquã ipſa ſeparatim curabitur, niſi ſimul tẽpore, aut ordine naturæ prius cauſam ipſius remoueris. Quippe talis febris non eſt poſt cauſam, ſed propter cauſam in corpore ſubſiſtentem. Et ob id Galenus dixit, ἐπ᾽ αὐτῇ, id eſt, propter putredinẽ ſubſiſtentẽ febrim, remotione cauſæ curari ipſam quoq;. ἐπὶ enim cum datiuo, ſæpe cauſam ſignificat: ſed Anonymus, pro uocabulis μετὰ uel ἐφεξῆς, hãc uoculã expoſuit. Etenim ut propter obſtructionem ſequitur, tanquam ſymptoma, retentio fuliginoſorum, ita quoq; putridum uaporem ſequitur febris, ut proximam & coniunctã cauſam. Haud aliter præpoſitionem ἐπὶ cauſalem uſurpauit, cùm loqueretur Galenus de ſymptomate retentarum fuliginũ in corpore propter obſtructionem. ὑπὸ τῶν χυμῶν ἡ ἔμφραξις ἀπειργάσθη νόσημα οὖσα. ἐπὶ ταύτῃ δὲ σύμπτωμα ἐγένετο τῆς διαπνοῆς ἡ ἐπίσχεσις. Sed cum ſua cauſa ſimul ſymptoma eſſe, ne Anonymus quidem inficias (ut opinor) ibit. Paulò pòſt, febrim poſt

excretionem putridi humoris, nihilominus putridam cenſet appellandam. Quo loco, neſcio utrum cauſam antecedentem & materiam putredinis (cui debetur non curatio, ſed præuiſio) ipſam putredinem appellet, ipſam uerò putredinem febrim. Quemadmodum ſanguinem affluxurum, appellat ſanguinem: eum uerò qui impactus eſt in anguſtijs, atque amplius non fluit, ſed ſubſiſtit, non appellat ſanguinem, ſed ipſam phlegmonen: quæ abſque ſanguine etiam influente, ipſa per ſe poßit ſeparatim ſubſiſtere. An uerò putredinem coniunctam cum febri uelit intelligi, quæ tametſi exhalarit per excretionem corporis, nihilominus febris & intemperies calida remaneat: prius uerba ipſius perſcribā, deinde optionem ei dabo, ut utrocunque modo uelit ſe intelligi à nobis, declaret.

Nō ſatis intelligitur, quomodo dicat Anonymus, poſt excretionē putridi humoris, nihilominus manere febrim putridam.

Fol. 206. Nam ſi (inquit) tumor ſanguineus, aut bilioſus dicitur is, cui non amplius affluant humores tales, quid ni febris quoq; dicatur putrida, quæ propter excretionem iam ſit expers putredinis?

Tametſi reſpondere poſſem, non quemlibet exuperantem calorem (ut aliquem etiam poſt excretionem putredinis ſupereſſe concedamus) pro febri numerandam, ut Galenus docet li-

ect libro octauo Methodi, nihilominus libet mihi ſimilitudine hac eadem ipſam refellere, qua præſertim declarare conatur, poſſe febrim putridam abſque putredine ſubſiſtere. Per metonymiam fortaſſe loquitur: libenter enim figuratis & homonymis uocabulis utitur Anonymus, ut poßit effugere. Si ergo ſic exponat mentem ſuam, idcirco, quia non amplius affluat materia putredinis, nihilominus dici & eſſe putridam, ut phlegmone eſt, tametſi non amplius ſanguis affluit. Facit hæc ſimilitudo contra Anonymũ. Sequitur enim, ut ſanguis impactus cauſa coniuncta eſt phlegmones (quod ſuprà eſt demonſtratum) ut eodem modo putredo cauſa cõiuncta ſit febris. Non enim dũtaxat ratione Antecedẽtis cauſæ ſanguis eſt ſanguis, nẽpe quatenus influit, ſed etiã quatenus iam influxit, ſanguis manet: pars nimirũ phlegmones, non autem ipſa exiſtens phlegmone. Idem ſentiendum de putredine. Antecedens enim cauſa non ſemper ſic efficit morbum, ut ipſa interuenire aliquando tanquam coniuncta nequeat. Nec ſi pars ſit affectus, ſubita metamorphoſi deſinit pars eſſe, & mutatur in qualitatem διαθέσεως. Sunt abundè ſatis hæc ſuperius cõfutata. Retorqueamus nunc ſimilitudinẽ contra ipſum. Ergo ut ſanguine, qui eſt impactus

Antecedens cauſa aliquãdo permutatur in coniunctam.

in phlegmone, diſcuſſo & excreto, deſinit phlegmone: ita putrido uapore ſeu humore exhalante, deſinit etiam febris putrida, id eſt paroxyſmus putridæ finitur. Quoniã declinatio ſeu παρακμὴ putridæ, autore Galeno, nihil aliud eſt quàm διαπνοὴ τῶν σηπόντων χυμῶν. Quid porrò ſunt feruẽtes, quàm calore nõ naturali putreſcentes humores, unà cum putrido illo calore exhalantes? Præterea Galenus ambobus affectibus, phlegmoneæ ſcilicet, & putridæ, cauſas coniunctas adſcribit: quibus ſublatis, ipſi quoque affectus deſinant. Quomodo igitur ſecundum Anonymum, ſublata putredine, nihilominus permanebit putrida? Perinde eſt atq; ſi diceres, diſcuſſo ſanguine, quo referti ſunt anguſtiſsimi meatus, nihilominus remanere inflammationem: ſed Galenus deſinere dicit, probans in libro de Optima ſecta, phlegmonen, & putridam febrem habere cauſas coniunctas, quas cum Methodicis noſter negat Anonymus. Methodicorum fuit ſententia, duntaxat affectus et διαθέσεις indicare medicamenta. Galenus, contra ipſos diſputans, probat in plurimis non affectum, ſed cauſam indicare, quid ſit faciẽdum: ut in phlegmone, ſanguinem, qui ſit cauſa, ſibi contrarium remedium indicare (& nõ πάθος ipſum) nempe uacuationem impacti ſanguinis, quoniam

Lib. 2. de differ. febr.

Galenus phlegmonen factam & putridam dicit cauſas habere quæ θεραπείαν indicent.

quoniã illo ſoluto, deſinat quoq́; πάθος (nempe calor et tumor) quod aliud quiddã indicet, nempe refrigerationẽ: quo appareat potiorẽ indicationẽ cauſæ eſſe coniunctæ, quàm ipſius πάθους. Eandẽ rationẽ ualere ſcribit in *putrida febre, aut quacũq́; febre alia, quæ cauſam habeat coniunctã.* Verba Galeni *adſcribã, ne fortaßis iſta me fingere exiſtimet, iã nõ noſter potius, quàm* Galeni aduerſarius. *ἔστι δὲ καὶ ἐκ τῶν προσαγομένων βοηθημάτων ἐπιγνῶναι, ὅτι οὐ τὰ πάθη, ἀλλὰ τὰ αἴτια τὴν θεραπείαν ἐνδείκνυται. τὰ γὰρ βοηθήματα ὑπεναντιοῦται οὐ τοῖς γιγνομένοις, ἀλλὰ τοῖς ποιοῦσι. ὡς ἡ κένωσις τῷ πλήθει ἐναντία ἐστί, πάθει δὲ οὐδενί, οἷον φλεγμονῇ, ἢ πυρετῷ. ἐναιρουμένου τοῦ πλήθους ὑπὸ τῆς κενώσεως, συναναιρεῖται καὶ τὸ γινόμενον ὑπὸ τοῦ πλήθους πάθος. οὐκ, ἐπειδὴ δὲ συναναιρεῖται τῷ ποιοῦντι τὸ πάθος, τὸ βοήθημα τῷ πάθει ὑπεναντίον ἦν.* Hactenus Galenus, quem hoc loco ſi recuſet Anonymus ſequi, *Methodicum eſſe oportebit, & dogma Galeni neceſſe erit ipſi prodere.* Quid dico Galeni? imò Hippocratis etiam, qui *morborum cauſas* Coniunctas *deſcribit his uerbis, in libro de uetere Medicina,* *Δεῖ δὲ δήπου ταῦτα αἴτια ἑκάστου ἡγεῖσθαι, ὧν παρεόντων μὲν, τοιοῦτον τρόπον ἀνάγκη γίνεσθαι, μεταβαλλόντων δὲ ἐς ἄλλην κρῆσιν, παύεσθαι.* Loquitur *autem de morbis, quorum cõiunctæ cauſæ ſunt humores con*

Anonymus Galeni aduerſarius.

Anonymus eſt Methodicus, non Dogmaticus.

tra naturam, quibus concoctis & excretis, morbi deſinant, crudis uerò ac permanentibus, ipſi quoq; morbi permaneant, & in uigore ſuo perſiſtant. Fortaſſe *ſic intelligi uolet ſuam ſuperiorem ſimilitudinem.* Quemadmodum *dicitur eſſe phlegmone, tametſi cauſa antecedens ipſius nulla ſit amplius (quod eſt ſecundum* Anonymum *nihil aliud, quàm ſi dixiſſet,* Si *omnino eius febris cauſa ſit nulla, quum ipſius iudicio ſit immediata* Antecedens) *ita quoq; febris putrida pòterit appellari: licet putredo, qua eſt generata: ſit nulla, quæ nimirum remanet, exhalante etiam prorſus putredine.* Similitudo *claudicat.* Nam *ut plegmone (ſi deſinat cauſa antecedens) ob id ipſa non deſinit, ita materia putredinis ſi deſinat influere, nihilominus febris putrida eſt.* Sed *ſi ſanguis, qui influxit & iam eſt impactus, diſcutiatur, tum ut phlegmone deſinit eſſe, ita putredo quæ fluxit, ſi excernatur et diffletur, tum febris quoq; putrida deſinet.* Ex *quo perſpicitur, uitioſam eſſe ſimilitudinem* Anonymi, *qua nō tantùm nihil probet, uerumetiam doceat ſe ne conferre quidem poſſe comparanda comparandis.* Attamen *nimis ſum ridiculus, qui in omnia ipſius dicta inquiram tam diligenter: cùm ſæpe iam oſtenderim, ipſum non modò repugnantes ueritati & Ga-*

Alia interpretatio ſuperioris ſimilitudinis.

leno, uerumetiam ipſas inter ſe diſſentientes rationes afferre ad probandum, ut ferè nõ opus ſit qui refellat ipſum: cùm à ſemetipſo ſatis ſuperq́; cõfutetur. Sed quid uolunt ſibi uerba hæc, quæ uerſa pagina habet? Fol. 207.

Reliquum igitur eſt, ut putrida à putredine, quæ ad cor uſq; pertingit, nuncupetur.

Quòd ſi excreta fuligo non amplius pertingit ad cor, quomodo quæ relinquitur caliditas febris erit putrida? Ergo quod paulò antè dixeras, idipſum nunc negas uerum eſſe: fortaſſe ſectator es Protagoræ, qui contradicentia ſimul uera eſſe poſſe, dixit: aut Antiſthenis, qui omnino nulla eſſe dixit contradicentia. Addo præterea et hoc: Si abſq; putredine ſubſiſtit etiã putrida, quid cauſæ eſt, quòd ardor tertianæ puræ non diutius perdurat aliarum febrium inflammationibus? Ergo eius quod quæro, nulla alia cauſa erit, quàm quòd ocyus in hac, in reliquis tardius exhalat putrida fuligo. Multa libens prætereo, ne uidear mihi indulſiſſe: & quò perſtringerem quàm breuiſſimè, quæ longis ambagibus probare conatus fuit Anonymus, tamen aſſequi non potuit, quo minus falſitas eorum deprehenderetur. Nunc porrò ad reliqua me conferam:

Sibi pugnantia dicit Anonymus.

Metaph. li. 4.

Galenus (inquit) putridæ febri cauſam aßignat

gnat Antecedentem, eamq́; appellat putredinem. Quapropter putredo cauſa continens nequit dici eiuſdem febris, pro eo: ut aduerſarij contendunt.

Galenus li. 11. meth. ponit antecedentem cauſam obſtructiōis, humores prauos: deinde uitioſos ſuccos illos putreſcētes cauſam antecedentē febris eſſe affirmat. Sed humor uitioſus, tum ſcilicet quando obſtruit, ut cauſa cōtinens eſt obſtructionis: ita quādo ſic putreſcit, ut penetret ad cor uſq; fumus putridus, & cum ipſius ſanguine miſceatur, tum ſanè putredinem hanc dicimus cauſam coniunctam febris putridæ: qua nimirum differat ratio ipſius, à reliquis febriū generibus. Quando fuliginoſus halitus penetrans in cor, dicitur cauſa eſſe febris: tum Anonymus non cauſam, ſed ipſam febrim eſſe talem habitum putridum contendit: confundens (ut aliâs quoq;) cauſam coniunctam cum ſuo effectu, cum accidente ſubſtantiā. Fuliginem putridam nemo ignorat eſſe ſubſtantiam, Febrim eſſe accidens, & intemperiem quandam humorum cordis, id uerò Galenus dicit, & medici uno ore aſſentiūtur omnes. At putrida quidem fuligo, tam non eſt febris ipſa, quàm cauſa non eſt ipſe effectus. Aut ſi fuligo ſit febris, ipſum ſeſe generabit aliquid: quod philoſophis ualde uidetur

Quomodo putredo ſit cauſa antecedens, & quomodo coniuncta.

Fol. 214.

Putrida fuligo non eſt ipſa febris.

uidetur abſurdum eſſe. Fatemur *et nos,putridã fuliginem eſſe cauſam* Antecedentem *ſimpliciter.* Sed *nihilominus ex hypotheſi, factæ febris putridæ, cauſa eſt coniuncta: ſi modò differat genus febrium putridarũ, à reliquis duobus generibus febrium ſimplicium.* Suprà *dixerat,tametſi exhalet putridus uapor,nihilominus calorem ſuperſtitem appellandum putridam febrim.* Poſtea *alio loco ſic ſcribit:*

Submota enim fuligine,calor ille non putridus erit,adeoq́; nec febris putrida,ſed potius diaria. Fol.214.

Ex *oppoſitis ſyllogiſmo coagmẽtato demõſtrabimus,febrim,orbatã fuligine putrida,non eſſe orbatã fuligine putrida, id eſt aliquid non eſſe id ipſum qd' ſit,hoc modo:* Febris,*carẽs fuligine putrida, nihilominus eſt putrida.* Febris *carẽs fuligine nõ eſt putrida.* Nam *diaria.* Ergo *febris carens fuligine non eſt febris carens fuligine.* Illud ἀδύνατον *pepererunt nobis rationes & dicta cõfeſſaq́;* Anonymi, *ut propèdiem futurum ſit,ut amplius requirendi non ſint* Medici:*ſiquidem hoc argumento,morbos non eſſe morbos,demonſtratum ſit.* Satisfactum *opinor huic ſubtilitati* Anonymi:*nunc ad id quod ſequitur, nos conferamus.* Lapidem *in ueſica (quia ſubſtantia ſit)* Mõtiſianus *negat eſſe morbum,*

Syllogiſmus ἐξ ἀντικειμένων Anonymo conceſſorum.

Nihil eſt magis contrarium uero,quàm dicere ipſum nõ eſſe ipſum.

Aliud argumentum.

bum,ſed cauſam eſſe morbi dicit,propter accidens quoddam,quo nimirum aliquid contra naturam eorum quæ contineri debeant intercapedine ueſicæ, remorans excretionem eiuſdem. Nam *quicquid ueſicam ſecūdum naturam continetur, id tale eſſe debet,ut poßit excerni.* Si *quid uerò ſit tale, ut ſuiipſius remoretur excretionem, ipſum quidem morbus erit ueſicæ,eiuſdem ſymptoma erit impedita excretio. Quocirca lapis, non quia lapis, cùm remouetur ſuiipſius excretionem,ſed quia ſupra numerum aliquid ſit eorum,quæ contineri debent ueſica, pro morbo habendus.*Ex *quo par eſt intelligi, morbum hunc ueſicæ quandam* διάθεσιν *eſſe, ratione hac,quà continens lapidem ueſica,numero non naturali contentorum dicitur laborare.*Lapis *igitur, non ipſe per ſe affectus eſt, ſed cauſa ut talis affectus,qui definitur numero contra naturam, ueſicæ inſit.* Verùm Anonymus *numerum non putat eſſe accidens,nec diſcrepare cenſet numerum à rebus numeratis.*Idcir*co morbos dicit eſſe ſubſtantias, quanquam Galenus &* Ariſtoteles *iſtud minimè dicunt.*Nam *ut genus,ita quoq; ſpecies omnes morborum, ſunt accidentia,ut* Numerus, *figura,magnitudo,et reliquæ differentiæ:quibus ad genus morbi, nempe ad* διάθεσιν *contra naturam additis,*

Anonymus Numerum nō putat eſſe accidens.

ſpe-

ſpecies morborum finiuntur. Et *quanquam uo culæ illæ ſunt diuerſorum generum & prædicamentorũ, nihilominus quia rationem habent differentiarum, ſub uno genere diatheſeos ſpecies illæ morborũ omnes ſubiectæ erũt.* Nam *ut ſpecies naturã ſequuntur differentiarũ, ita differentiæ naturam ſequuntur generis: quæ ignorans* Anonymus, *non eſt mirum, ſi tantopere doctißimum contemnat* Ariſtotelem, *cùm tamen nihilominus uelit, ſe ualde acutum diſputatorem in hac controuerſia haberi.* Sed *de his dictum in Cõmentario noſtro in ſextum* Topico*rum ſatis, quæ ſatiùs ſit didiciſſe & intelligere, quàm ut aduerſarius facit, contemnere.* Deum *immortalem quàm putidè poſtea reſpondet* Montiſiano, *hoc argumento demonſtranti, morbum non eſſe ſubſtantiam, ſed affectum & qualitatem?* Fol. 122.

Nam *ſi, inquit* Montiſianus, *ſanitas eſt* διάθεσις *& qualitas, morbus quoq; erit qualitas.* Aliud argumentum. *Sub eodem enim genere contraria ſunt.* Illud *argumentũ ſic refellitur ab aduerſario.* Quare Montiſiano, *ait, ita potius dicendum erat: Si morbus eſt affectus, ſanitatẽ quoq; affectũ eſſe neceſſum eſt.* Quum *itaq; affectus ſit genus ad ſanitatem & morbum, ideo non in ſubſtantiæ, ſed in* Relationis *genere, ſeu categoria*

ria illa (ut ſuprà dictum eſt) collocamus.
Huic paralogiſmo ſuprà nos reſpondimus, nec merentur ineptæ rationes, ut eis reſpondeatur ſæpius. Poſtea addit quædam, quæ nihil faciunt ad rem: & nihil uel probantia uel infirmantia, ſummā per ſe habēt abſurditatem. Multa deinde mouet Anonymus, mirumq; in modum ſatagit, ut lapidem in ueſica per ſe, quatenus ſubſtantia ſit, morbū eſſe probet: in quo tamen nō
Allud. *plus promouet, quàm ſi (ut dicitur) Siſyphi ſaxum ſurſq; deq; uerſaret. Reprehendit deinde Montiſianum, affirmantem ſub appellatione antecedentis cauſæ, Galenum complexum etiam cauſam continentem fuiſſe. Nos initiò oſtendimus, Ciceronem cauſam hāc appellare efficienter antecedentem. Quin Galenus etiam in ipſa obſtructione, contentum humorem, cauſam appellat: nec morbum ipſum eſſe dicit, aut obſtructionem ipſam. Atq; idem, ſimam naſi figuram, obſtructionis narium cauſam appellat antecedentem: non alia ratione, quàm qua eſt efficienter Antecedēs, & quatenus iamiā obſtructionē facit. Nam reſima figura naſi, ipſa per ſe morb. non eſt: ſed quatenus eſt coniuncta cum obſtructione, morbi cauſa eſt, uel antecedēs, quoad ipſa nondum eſt: ſed generatur obſtructio. Paradoxon deinde quoddā ſequitur, quo affirmat:*

Gale. lib. 1. de differen. morborum.

Omnem

Omnem calorem, qui præter naturam in corpore ſit, febrem eſſe, ſi modò accenſus permanenſq; ſit. Fol. 144.

Abhorret ſententia hæc prorſus à definitione Febris, & à Galeni item decretis, qui calorem qualemcunq; & quantumcunq; in corpore, ſi non afficiatur etiam cor, negat febrim appellandã. Nec eſt quòd ſe defendat loco quodam, qui eſt in libro 8. Methodi, ubi Galenus calorem ſic auctũ, ut impediat actionẽ, uidetur nominare Febrim. Mens enim & propoſitũ illud Galeni non eſt, ut ſentiat quamlibet exuperantiã caloris impedientem actionẽ, eſſe febrim. Sed febrim dicit eſſe ex genere iſtius exuperantiæ, ut non neceſſe ſit, ſi talis ſit exuperantia, propterea febrim quoq; eſſe. Eodem errore dicitur & ſubijcitur illud quoq;, nempe ab Auicenna febrem non ritè definitam, quando dicat omnem in corde accendi: Aliud. Aliud.

Hinc (inquit) palàm fit, non omnem febris calorem in corde accendi, adeoq; Auicẽnæ definitionem, qua ait, Febrem eſſe calorem in corde accenſum, non eſſe bonam & legitimam. Fol. 224.

Enimuerò calor quantuſcunq;, ſi accendatur ſine cordi, inflammatione & æſtu, Febris haud erit: idq; Galenus ipſum ſua definitione febris, quod Auicenna, aſſerit, eodem modo fi- Auicenna loquitur de ior-

mali cauſa febris non efficiente.

niens febrim ſcilicet. Nam *quid illud aliud eſt, quàm quòd* Auicenna *dixit,* ἐπειδὰν ἐν τῇ καρδίᾳ θερμότης τις γίνεται παρὰ φύσιν? Nequit *genus febris aliter definiri, quàm ſuo proprio*

Febris πρῶτα διακτικὰ, tria quibus diſtinguũtur genera febrium.

ſubiecto, quod nimirum eſt cor, cuius ſubſtantiam conſtituunt tria hæc ab Hippocrate *celebrata;* Continens *primùm, ſolida ſubſtãtia, deinde genera duo* Contentorum, *quorum unum ſit appellatum* ἐνισχόμενον, *alterum uerò* ἐνορμῶν, *ſanguis ſcilicet, & ſpiritus.* Proinde *febrim morbũ eſſe conſtat, & quia morbus, animatæ cuidam parti ineſſe oportet.* Ob *hãc cauſam cenſent nonnulli, ardorem humorũ & ſpirituum in corde, febrim non eſſe nominãdam, quia ſcilicet partes non ſint animatæ: & ob id numerandas potius pro cauſis febrium, ſi contra naturam incaleſcant contenta.* Montiſianus

Montiſianus ſuã hypotheſin conſtãtius tuetur de primo ſubiecto febris, quàm Anonymus.

ſuis inſeruit hypotheſibus, conſtantiusq́; eas quàm Anonymus *tuetur.* Nam *de ſubiecto febris non idem ſemper aduerſarius ſentit, cùm aliquando fuliginem ipſam, putridã febrim eſſe dicat: aliquando extra cor particularem quandam febrim eſſe uaticinetur.* Sed *de his poſtea uidebimus. Sic argumentatur* Montiſianus: In*temperies calida in contentis cordis, non eſt febris.* Quia *cõtenta animata non ſunt, quippe ſolidæ partes dũtaxat uidentur animatæ.* Ergo

calor

calor, quo ſolidum cordis corpus afficitur, febris ipſa erit, & morbus. Sed ille calor numero idem non eſt cum calore in Contentis: quoniam accidens de ſubiecto in ſubiectum migrare nequit, nec ullum πάθος eſt χωριστὸν, ut aliorſum transferatur. Quare calor contentorũ cùm febris non ſit, oportebit ipſum cauſam eſſe febris, & illam quidem proximam & coniunctam. Anonymus hypotheſibus his adſtipulatur, ſed cõceßis præmißis, ritè & dialecticè cõpoſitis, nihilominus concluſionem, quæ cauſam continentem aſtruit, non uult concedere, ſed ſuo quodam modo hanc interpretatur. Intemperiem calidam dicit eſſe in contentis, quæ nimirum hoc calore contra naturam ſint affecta, ſintq; tanquam baſis febris. Et quia ſint principium febris, non quia morbo prædita, poſſe morbida dici arbitratur. Deinde, quando contenta ſic contra naturam affecta, ſolida afficiant ſua intemperie, tum eſſe reuera febrim huiuſmodi intemperiem cõtentorum, ſed tamẽ particularem. Dicat & reſpondeat Anonymus mihi, quomodo principium febris poßit reuera eſſe febris, nempe cauſa quomodo poßit eſſe effectus? Aut ſi reuera febris eſt intemperies hæc contentorum, qua nam ratione eam appellet particularem? Nam quod per ſynecdo-

Expoſitio Anonymi formalis cauſę febris, & ipſius primi ſubiecti.

chen dicitur, nequaquam reuera tale dici poteſt. Nec ut tota & perfecta ſpecies eſt febris, ita pars quoq; ipſius, nempe particularis febris eſſe poterit. Species enim quælibet eſt, ut numerus, quæ ubicunq; eſt, ibi tota eſt: & ut pars hominis, non eſt homo, ita nec pars febris habere poteſt febris appellationem, ac dici particularis febris. Quis unquam huiuſmodi monſtroſis uocibus in tractatione febrium eſt uſus, ut diceret particularem febrim, & uniuerſalem febrim? Pallio forſan particularis febris cauſam coniunctã uult ueſtire, ne agnoſcatur. Pro morbo enim quodam conatur eam, non pro cauſa uenditare. Si per ſynecdochen febri dicantur affici contenta, non erunt per ſe pro morbidis & febrientibus habenda, ſed pro cauſa febrientium ſolidorum. Aut ſi intemperies illorũ reuera febris eſt, eademq; communicetur etiam ſolidis, & in primis cordi: ſequitur, ut intemperies calida ſolidarum, reuera febris non ſit. Quoniã ut alia omnia πάθη, ita morbũ quoq; quid uere ſint, τῷ πρώτῳ δεκτικῷ, autore Ariſtotele, finire & demonſtrare ſolemus. Aut ſi calor ille in ſolidis partibus ſit reuera febris, hac ratione, qua ſit & dicatur idem numero cum illo calore qui ſit in contentis, tum ſequitur idem numero accidens de ſubiecto migrare in ſub-

Pars febris nõ poteſt eſſe febris. Ergo nulla eſt particularis.

in ſubiectũ, & duo ad numerũ eſſe unum. Aut *ſi duæ ſint numero reuera febres, cùm ſint ſpecie diſcrepantia* πρῶτα δικτικὰ, *neceſſe erit putridam omnem, atq; etiam ephemeram compoſitam eſſe febrim, ſemperq́; duæ reuera erunt febres, Vna in contentis, altera in ſolidis.* Aut *ſi compoſita non erit, ſi reuera febris ſit in continentibus, in contentis ſcilicet non erit: & ſi fuerit in cõtentis, tum reuera non erit in continentibus.* Montiſianus *febris ſubiectũ duntaxat ſolida eſſe dicit, quia animata, in contẽtis febrim non eſſe, ſed cauſam febris: nempe intemperiẽ, quæ ſolidas partes febri inflammet, tanquam cauſa cõiuncta febris.* Anonymus *intemperiem contentorum calidam, non cauſam tantùm, ſed morbum etiam eſſe dicit, ſed particularem morbum & febrim: quod quale ſit, intelligere non poſſum.* Hac *enim ratione febris integra quædam erit chimera, id eſt ſimplex febris, & tamen ex alijs febribus compoſita, quæ ratio & diſputatio ipſius tota eſt* πλασματώδης, *argumenta* καὶ ἐπιχειρήματα ἐλλειμμένα βοᾷ, καὶ μάχεται καὶ αὐτὰ ἑαυτοῖς, καὶ τοῖς εὐλόγοις. Si *ergo hæc reuera febris eſt et particularis, quæ eſt in contentis: ſequitur, ut continentium quoq; reuera ſit, & uniuerſalis quidem febris.* Qua *ratione, duæ conſtituuntur febres, quæ aut numero diſ-*

Febris ſecundum Anonymum, eſt chimera quædã.

crepent, aut una ad numerum, ſit in duobus nu mero diſcrepantibus ſubiectis, quæ tanquam abſurda Montiſianus fugit, conſentanea enim uult dicere. Sed Anonymus, quàm bellè congru ant inter ſe rationes, non conſiderat, ac ne ueri ſimilia quidem reſpicit, apertè falſa connectens falſis, ut ne in his quidem tutum habeat receptũ quo poßit ſeſe uerißimilitudine quadam occultare. Suprà dixerat, Intemperiem in contentis, reuera febrim eſſe. Nunc non eſſe febrim, ſed cauſam febris eius, quæ reuera ſit febris. Sic enim ſcribit:

Fol. 252. *Non eſt igitur calor ille, Febris, reſpectu materiæ in qua conſiſtit, ſed reſpectu particulæ in qua accenditur febris, & cuius actiones lædit.*

Ergo autore aduerſario, cõtenta, non quia ſubiecta ſunt caloris (qui eſt febris) ſed quia ſubijciuntur cauſæ febris, ad rationem febris pertinebunt? Nam ſi intemperies in contentis, non eſt ipſa febris, eaq́; nihilominus impedit actionem continentium partium, morbum ſcilicet quẽdam interuenire oportebit, quem non alium eſſe cõſtat, quàm intemperiẽ ſolidis com municatam propter contagionem contentorũ. Quocirca in contentis calida intemperies, nec febris erit, nec particularis febris: ſed ſubijcien

tur dum-

tur duntaxat cauſæ febris, quod Montiſiano propter hypotheſes conſentaneũ uidetur: quas cùm Anonymus etiam approbet, nõ uideo qua ratione ei cõcluſio eadem p oßit diſplicere. Ego *quidẽ his omnibus nihil abſurdius, nihil inconſtantius dici, aut ſcribi unquam legi, uel audiui: ita dum uult omnia ad ſuas hypotheſes reuocare, nullum in ſua diſputatione patitur locum eſſe ueritati. Quoniã uerò uterq; non ſatis explanat febris ſubiectum proprium, quid nobis de eo uideatur, planũ faciemus: ut inde perſpici poßit, putridam fuliginem per ſe cauſam antecedẽtem eſſe febris putridæ, ſed ex hypotheſi coniunctam eſſe: ſanguinem uerò in corde* πρῶτον δεκτικὸν *iſtius febris, quemadmodũ ſit ephemeræ ſpiritus, & hecticæ ſolida caro cordis.* Morbus *eſt habitus cõtra naturã, quo primùm impeditur energia naturalis. Cæterùm, ut ſit expedita energia corporis animati, non ſolùm agens corpus, ſed etiam patiens ſecundum naturam affectum, id eſt, ſanum eſſe oportebit.* Quòd *ſi ambo ſana, etiam ambo morbida eſſe poterũt. Quis ignorat à Galeno, etiam ab Ariſtotele, morbidũ ſanguinẽ dici? quis non intelligit, propter ſpiritũ deficientẽ, ſæpe langueſcere uires ſolidarum partium, quæ ſint nutrimentis & medicamentis reficiendæ?* Ergo *ſi non in*

Autoris ſententia de primo ſubiecto febris putridæ.

In contentis etiam ſanitatem ineſſe oſtendit.

continentibus & ſolidis duntaxat eſt cauſa, ut corpus ſuas energias exerceat, uerùm etiam in contentis, quid uetat, quo minus ſanguinẽ πρῶτον δεκτικὸν putridæ dicamus, & ephemeræ ſpiritũ? Quòd ſi nõ faciamus, neceſſe erit omnem febrim hecticam eſſe: ſi morbus, ſeu febris, tantùm eſt in ſolidis. Contagionem porrò hanc caloris, qua ſolidæ partes etiam afficiuntur à febribus contentorum, febrim non eſſe dicimus, ſed intemperiem calidam quandam, & imbecillitatem: præterea quæ proueniat ex ſympathia febris, quæ, finita quoquè febri, permaneat, ad Neutralitatem cõualeſcentiæ, non ſub morbum referenda. Febris autem propriũ ſymptoma eſt impedire actiones, quæ ſecũdum naturam corporis exercentur, cùm propter calorem cordis non naturalem, nec contenta pati, nec continentia agere ſecundum naturam, & præſtare ſuas energias poßint. Reuertamur nunc ad inſtitutum noſtrum. *Montiſianus putridam fuliginem, ſanguini cordis admixtam, febris cauſam coniunctam eſſe dicit. Quoniam uerò calor & intemperies in contentis morbus & febris non ſit, cùm ex numero ſcilicet non ſint animatorum, idcirco inflammata hoc modò contenta, numeranda eſſe pro cauſa febris cenſet. Nos febrim in ſanguine, ut* πρώτῳ

ἐκτικῶν, oſtendimus ineſſe, quatenus ſit putrida. Anonymus nunc hoc, nunc aliud dicit, & particularem quandam & uniuerſalem fingit febrim, & ſanguinem febrim pati, & item non pati, ſed ſolidas partes, & (quod omnium abſurdißimum eſt) fuliginem putridam, pronũciat interdum ipſammet eſſe febrim, ad hunc ſcribens modum:

Vt hinc omnibus perſpicuum euadat, fuliginẽ non cauſæ, ſed morbi potius rationẽ, nempe putridæ febris habere. Fol. 214.

Non ſentit Anonymus fuliginem hanc, neq; ſubiectum primum eſſe febris, neq; ipſam eſſe febrim. Nam ſubiecta prima, ſecundũ Hippocratem, tantùm ſunt tria: fuligo autem, cùm ſit ſubſtantia: ſed febris, cùm ſit accidẽs: fieri nequit, ut fuligo ſit ipſa febris. Quid ergo aliud eſſe poteſt, quàm cauſa cum febri coniuncta? quandoquidem omne aut cauſam, aut effectum eſſe oporteat? Secundum peccatum eſt, quòd putreſcentem humorem, extra cor in particula quadam, immediatam cauſam febris appellat: cùm calor tamen neq; febris ſit, neq; etiam cauſa febris, niſi fuligines ſanguini cordis ſeſe admiſceant. Hunc ipſe calorem particulæ, obſeſſæ à calore putrido, particularem nominat febrim: cùm tamen Galenus & Auicenna longè aliter

Fuligo neque ſubiectum febris eſt (quia ſunt tantũ tria ſecundũ Hippoc.) neq; forma ipſa febris Ergo ex neceſsitate erit cauſa coniuncta.

febrim finierint, & omnino aliud ſit continere in ſe principium febris, & aliud, includere particularem febrim. Quippe principium febris non eſt febris, ut principium lineæ non eſt linea: ſed particularis febris, & ipſa febris eſt, quemadmodum uniuerſalis, ut particularis linea, tam eſt linea, quàm tota ipſa: quod ipſum tamen falſiſsimum eſſe, definitio febris à Galeno propoſita, & repetita poſtea ab Auicenna, declarat. Sed aduerſarium audiamus, tanquam ex tripode oraculum illud proferentem:

Omnis calor qui præter naturam in corpore eſt, febris exiſtit, ſi modò iam accenſus & permanens eſt.

Num ſi accenditur calor aliquis in parte quadam, febris erit, etiam ſi cor non attingat? Non *opinor. Sed neceſſe erit id* Anonymo *fateri, ſiquidem fuligo ipſa eſt febris quæ putreſcit: ergo ubicunq; erit, ibi febrim quoq; eſſe oportet. Quî fit autem ut putredinem & fuliginẽ hanc, dicat ipſam eſſe febrim? quia ſi mordicus iſtud non teneat, cogetur eam fateri cauſam eſſe febris, quod non uult: alterum quod uult, nulla ratione poteſt defendere.* Alio loco dicit, *calorem in putrido humore, febrim eſſe. Quomodo ergo putridus uapor erit febris ipſa (quod antea dixerat) cùm idem non ſint intemperies & ſub-*

Tergiuerſatio Anonymi reprehẽditur.

& ſubiectum? Aut quomodo πρῶτον δεκτικὸν febris eſt humor, qui ex numero trium illorum non ſit priuatorum ſubiectorum: de quibus dictum eſt ſupra? Id uerò ſe Galeni exemplo feciſſe teſta tur, ſic ſcribens: Fol.243.

Præterea ſi dixi, calorem in putreſcente materia accenſum eſſe febrem, id Galeni exemplo feci, qui lib. 1. de Differen. febriũ, cap. 1. eſſentiã febris calorem eſſe præter naturam, eumq; in materia conſiſtere ſcribat.

Verũtamen (mi Anonyme) nõ ſequitur, intemperatus calor eſt in putrido humore, ergo febris eſt ille calor. Nam calor ille non eſt febris, ſed eſt cauſa febris: et tui pſe, cum alijs quibuſdam, fatearis, morbi aut febris ſubiectum eſſe nullum, niſi animatum corpus. Proinde quod ego nunc dico, id paulò pòſt, adducta authoritate ex Methodo, probat quoq; aduerſarius: ſiquidem Galenum ait ſcribere,

Particulam, in qua ſit putridus humor, principium febris continere.

Concedo principium, id eſt, cauſam antecedentem febris in particula contineri, ſed non febrim: quoniam principium febris, nõ eſt febris, ut ſuprà diximus. Anonymus principium febris, per metalepſin, particularem febrim interpretatur: ſed interpretatio hæc, definitioni

& ſen-

& ſententiæ Galeni prorſus aduerſatur, qua febrim omnem dicit, ratione cordis, inflāmari & exardeſcere, ut nulla omnino poßit eſſe particularis. Quis uerò non miretur Anonymum dicentem, calorem in putrido humore eſſe febrim, in contentis non eſſe febrim, ſed particularem febrim, & ſanguinem illum eſſe morbidum, & non ægrotantem? Quòd ſi ſanguis, inflammatus putredine, non ægrotat, & tamen eſt morbidus, nulla ratione alia erit morbidus quàm qua conciliat morbū ſolidis, quemadmodum cauſas coniunctas etiam dicimus morbidas, uel morboſas, non quia ægrotent, ſed quia ſint morbificæ. Idem cùm dicat Montiſianus, quid erat quòd eum tantopere reprehenderes tecum ſentientem? Sic tu ſcriptum reliquiſti, nempe idem quod ille, cum quo litigas.

Fol. 250.

Conſentit ergo cum Montiſiano.

Et hæc ipſa contenta, morboſa aliquando dici, non quòd ipſa laborent morbo, ſed quòd in partibus ipſa continentibus, morbos excitent.

Excutiamus ſubtilitatem, aut potius futilitatē Anonymi. Veretur, ne ſi contenta ipſa morbida neget, cogatur fateri febris putridæ cauſam eſſe continentem quandā, quæ tamen ipſa morbus non ſit. Semper enim id contendit, ut cauſas coniunctas morborum doceat, aut ipſas eſſe mor-

ſe morbos, aut morbo præditas: cuius tamen gratia morbi, non dicantur ipſæ ægrotare. Primùm, *ſi per ſynecdochen dicat contenta morboſa eſſe, quia ſcilicet faciant morbum, facilè id ei (ut dictum eſt) conceſſerit* Montiſianus. *Si quidem omnia* συνεκτικὰ αἴτια, *hoc modo dici poſſunt morboſa uel morbida.* Sin *uerò morboſa appellat, quia ſint ipſamet ſubiecta morbo, non uideo qua fronte poßit dicere* Anonymus, *quòd non ægrotent: ſic morbida.* Sic *autem ſcribit:*

Rectè in ſpiritibus & humoribus febris, tanquam in ſubiecto conſiſtere dicuntur, licet ipſi non ægrotent. Fol. 251.

Ergo *dicuntur morbida ſubiecta hæc, non quia ægrota, ſed quia morbifica, qua ratione cauſas coniunctas etiam dicimus morbidas.* Et *quamuis uelit uideri aduerſari* Montiſiano, *tamen idem perpetuò dicit: ut quando ſcribit ad hunc modum:*

Non eſt igitur calor ille (qui eſt in contentis) febris, reſpectu materiæ in qua conſiſtit, ſed reſpectu particulæ in qua accenditur, & cuius actiones lædit. Fol. 252.

Sequitur igitur, ut contenta inflãmata cauſa coniuncta ſint febris, cùm uidelicet ipſius effectrix ſint cauſa, nec eiuſdem ſubiectũ eſſe poſſint. Et

ſint. Et ſunt quidem pars febris putridæ, ut ui-
ſum eſt Montiſiano: ſed non ſunt particularis
febris, ut fingit Anonymus. Nulla Empuſa tam
inſtabilis, nullus tam uerſatilis eſt Vertumnus,
quàm noſter eſt Anonymus, cùm mutat ſeſe ua-
ria in miracula rerum & rationum, ne depre-
hendatur: & tamẽ deprehenditur in omnibus,
nec ueritati, nec ſibijpſi cõſentanea proferens.
αὐτῶ γὰρ ὁ λόγος ὅμοιος τῶν ἄλλων, ὅταν μηδὲν
ὑγιὲς λέγωσι. Σοφισταὶ γὰρ, ὥσπερ Γαληνός που φησι,
τοῖς οἰκέταις ὅμοιοι ἐπ' αὐτοφώρῳ κατειλημμένοις, καὶ
ἐκπλαγέντες, οἱ μὲν ἐσιώπησαν, οἱ δ' ἀναισχύντως
ψεύδεται. Paulò pòſt, ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἠναγ-
κασμένος, mecũ ſentit, & contenta omnino per
ſe febri affici pronunciat.

An non (inquit) idem eſt ille calor, quẽ à cor-
de deferunt ſpiritus & humores? Maximè igi
tur in illis, tãquam in ſubiecto hæret. Imò ca-
lor ille, qui è corde per arterias cum ſpiritu
profluit, reuera febris exiſtit, quòd è fonte
caloris natiui, iam in igneum mutati, pro-
mãnet: ideoq; earum partium omnium, ad
quas per arterias & uenas defertur, actiones
lædit.

Deinde nihilominus negat, energiã natura-
lem contentorum lædi, quarum tamen intempe
riem calidam uerè dici febrim conceſſerat. Er-
go reuera

go reuera febris in contentis non erit, ſed duntaxat cauſa. Morbus enim eius, in quo ineſt, energiam ſolet impedire. Quòd ſi intemperies hæc febris eſt, & dicitur, tantùm reſpectu ſolidarum, eadem ſcilicet intemperies ad numerũ non erit in diuerſis ſubiectis: præſertim cùm in uno, habeat rationẽ cauſæ: in altero, rationem habeat morbi. Itaq; falſum eſt, quod non multò pòſt Anonymus ſubijcit, ſic ſcribens:

Nam idem eſt calor, qui cum ſpiritibus per arterias ad omnia membra defertur, & qui eorundem actiones labefactat, nempe is qui in corde in igneum fuit mutatus.

Ego uerò illum nec numero, nec ſpecie eundem eſſe dico. Nam contenta, & continentia, cùm differant numero, unum ad numerum calorem habere non poſſunt. Deinde, cùm calor contentorum ſit febris, calor cõtinentium non ſit febris, ſed per συμπαθείαν caloris affectio κατὰ σχέσιν quædam, ſpecie differant neceſſe eſt πάθη hæc in diſsimilibus ſubiectis, quorum alterum rationem habeat febris, alterũ non habeat. Et ut calor hecticæ febris ſpecie differt à calore putridæ, ita calor putridæ differt ab eo calore, quem efficit in ſolidis, qui febris non eſt: ſed κατὰ σχέσιν affectio quædam, ſeu πάθημα, nempe fiens quidam cõtra naturam calor, non

autem

Qualis calor ſit qui continentibus cõmunicatur à cõtinentis febri affectis.

autem factus ſeu perfectus. Hæc πάθη *ſubtilius omnino diſtinguunt phyſici, quàm dialectici: quippe conſiderant omnia* ἐκ προθέσεως, *& reſpectu ſubiectorum ſpecies & genera* παθῶν *definiunt.* Cupio igitur audire ex Anonymo, *quónam pacto eundem contentorum & continentium dicat eſſe calorem, ſeu intemperiem?*

Obiectionis cuiuſdam ſolutio.

Forſan *unum eſſe dicet, quia agentis & patientis eſt energia ad numerum una, ut docet* Ariſtoteles *libro ſecũdo* Phyſicorum. *Sed energia caloris, contra naturam habentis, non eſt affectus, uel morbus, ſed ſymptoma quoddã: quo, cùm ipſe ſanguis dicitur moueri atq; alterari, tum afficere etiam contra naturam partes finitimas poteſt, ut propter contagionẽ hanc præſtare ſuas actiones minus ualeant.* Ergo *quatenus idem ad numerum quiddam eſt in calore, id non ad ipſum, quatenus* διάθεσις *eſt: ſed ad energiam ipſius pertinebit, quæ* πάθος *non eſt, ſed ſymptoma* πάθους, *ut nunc eſt demonſtratũ.* Etenim *energia una eſt ad numerum, participans rationibus tamen duabus, à rebus ſcilicet ad numerum differentibus: à quarum una ſortitur appellationem actionis, ab altera paſsionis: quæ ſymptomatibus uocabulo, non morbis quadrant.* Quo circa πάθημα non *eſt febris, ſed qualitas quædam abſoluta, cuiuſmodi una in*

Febrim nõ eſſe πάθημα, ſeu κίνησιν.

duobus numero diſcrepantibus ſubiectis nequit ineſſe. Ex *quo ſequitur,ut ne intemperies quidem febris,una ad numerum in duobus ineſſe queat ſubiectis,ut* Anonymi *fert opinio.* Q*uare uniuſcuiuſq; febris ſuum erit ſubiectum,quæ cùm ſint genere tria,febrium quoq; tria genera eſſe oportebit:quorum omnium genus idem ſit, nempe inflãmatio caloris cordis contra naturã:quæ ut* Galeni *ſcriptis conſentaneè dicuntur,ita multum ab his,quæ diſputat* Anonymus *diſsẽtire uidẽtur. Sed de his dictũ ſatis.Supereſt quartus antagoniſtes* Ingraſsias,*cuius quædam duntaxat tractabuntur argumenta,quoniã pleriſq; ſuprà fuit reſponſum.*Tumorem *morbum eſſe dicit aliâs fientem,ut qui plethorica hypotheſi ſubſiſtat.*Item *factum,qui ipſe per ſe,abſque hypotheſi plethorica conſiſtat.* Recte *reprehendit* Ingraſsias *aduerſarium negantem fientem morbum (quem nos aliâs* πάθημα *appellamus) ſpeciem eſſe morbi.*Nam *eſſe,ſuperius à nobis fuit demonſtratum.*Mirum *eſt autem, his morbis detrahere ſymptomata* Anonymum,*quæ tamen apertiſsimè eis adſcribit* Galenus *in libro contra* Iulianum,*quæ breuitatis gratia in præſentia nolo commemorari.*Verba *hæc ſunt* Anonymi:

Defēſio quarti Antagoniſtæ,nempe Ingraſſiæ.

Vt *igitur ad rationem ipſam,quam attulit* In- **Fol.268.**

graſsias ueniamus: uerum eſt quod ait, tumores præter naturã lædẽtes actionem, eſſe morbos. Verum itidem, quòd redundantia humorum ſit tumorum cauſa. Verum deniq; eſt, quòd ubi humores increſcant, tumores quoq; increſcant. Falſum autem quòd ijs decreſcentibus, aut prorſus ablatis, tumores etiam decreſcant, & auferantur.

At id quod tu falſum eſſe dicis, id uerum eſſe Galenus affirmat in libro contra Iulianum ſic ſcribens: Πολλάκις ἐδείξαμεν ἐπὶ τῇ κενώσει τοῦ πλήθους ἑκατέρου, παραχρῆμα τοὺς ἀνθρώπους ὑγιασθέντας. Et paulò ſuperius, Δέδεικται ἐν τοῖς ὑπομνήμασι ὅτι ὁ σπασμὸς ἐνίοτε, καὶ τρόμος, ὅτε φλεγμονὴ διὰ παντὸς, ἐρυσίπελάς τε, καὶ τὸ καλούμενον ὑπὸ τῶν νεωτέρων ἰατρῶν οἴδημα, καὶ πρὸς τούτοις ἕτερα τε πάθη πληθωρικὴν ὑπόθεσιν ἔχοντα, ἅτινα κενώσας τὸ πλῆθος, αὐτίκα τὸ μόριον εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐρχόμενον. Poſtea ſubijcit, ſe abhorrere ab uſu uocabuli συνεκτικῆς αἰτίας, propter Stoicos, qui perperã eã ſint cõmenti in omnib. rebus ineſſe. De qua nos copioſè ſcripſimus olim, qui extat inter phyſicos noſtros libros ab Heruagio excuſos. Cæterũ ſe in hac ſentẽtia eſſe Galenus oſtẽdit, quòd nimirũ quædã ſimpliciter ſint ὄντα, quorũ cauſa ſcilicet cõtinẽs ſit nulla, nonnulla autem non ſimpliciter, ſed cum cauſa qua

dam in ſubiecto ſubſiſtentia, quibus præſentibus ipſa quoq; πάθη adſint, ſublatis uerò, ipſa quoq; πάθη euaneſcãt. Vt uerbi gratia: Simplex intemperies calida, ſine cauſa ſubſiſtit. Sed compoſita quædam eſt inflammatio, & cauſam habet humorem quendam, ut phlegmone, ut eriſypelas. In priore, penes πάθος eſt indicatio curationis: in poſteriore, penes coniunctam cauſam πάθους. Ariſtoteles huiuſmodi αἴτια uocat ὁμόγονα, ſed Galenus πάθη talia, γινόμενα nomina: cùm quicquid cauſam habet, non ſimpliciciter eſſe, ſed alio eſſe, id eſt, γιγνόμενον dicatur. Sic Plato in Timæo, res naturales omnes uocat FIENTES & γινόμενα, non quia ſemper moueantur, ſed quia non ſint ſimpliciter ὄντα, uerùm compoſita, cauſamq; habentia ſuæ eſſentiæ, nempe materiam & formam: qua ratione non dicuntur compoſita ſimpliciter eſſe, ut principia quæ nunquam fiunt, ſed ſemper ſunt. Sed aliâs in naturalibus rebus ſimpliciter dicuntur ὄντα, quæ materia & forma nullius alterius interuentu cauſæ ſubſiſtunt. Fientia autem dicuntur, quorũ aut motus cauſa eſt aliqua, aut eſſentiæ, ut FIENS hoc loco nihil aliud ſignificet, quàm πάθος eſſe in ſubiecta quodam cum cauſa, ut inflãmatio in carne, ſed cum ſanguine, aut inflammatio, unius cauſa ſit flaua

γιγνόμενον & fiens dicitur aliquando quod cauſam eſſentiæ ſuæ habet, expers motionis.

bilis, quæ nimirum inflammationes propter cauſas coniunctas ſpecie inter ſe differunt. Ga*lenus itaq; inflammationis quæ ſimpliciter dicitur eſſe, cauſam eſſe negat* συνεκτικήν. *Sed eius quæ cauſam habeat, ac non ſimpliciter ſit, ſed propter aliud ſubſiſtat, cauſam fatetur eſſe* συνεκτικήν, *qua ſublata morbus quoq; deſinat.*

Cauſam coniunctam eſſe, affirmat Galenus.

E*ſſe uerò* συνεκτικὸν αἴτιον *multorum affectuum, docuiſſe ſe oſtendit in libris, ubi tradiderit cauſas ſymptomatum, & in libro de tumoribus contra naturam.* Et *tamen illud* συνεκτικὸν *neq; intelligere, neq; inuenire in his libris noſter* Anonymus *potuit hactenus, quod ego nunc ei quale ſit exemplis Galenicis declarabo.*

Aduerſus Iulianum.

Sæpe, inquit, oſtendimus in libris de cauſis ſymptomatum, & in libro de tumoribus cõtra naturam, quòd ſpaſmus interdum, & tremor, ſed phlegmone ſemper, item Eriſypelas, *& quod à recentioribus medicis appellatur* Œdema, *coniunctum habeant humorẽ, & præterea omnia alia* πάθη, *quæ plethoricã habẽt hypotheſin, ſi quis uacuet* πλῆθος, *ſtatim priſtinæ ſanitati particulam reſtitui.* Q*uidam, inquit, ſpaſmus, & quidam tremor, ſoluuntur ſublata plenitudine qua fiebant.* Spa*ſmum ex repletione, item tremorem, nemo neſcit uacuantibus humores, et diſcutientibus curari.* Eum *uerò ſpaſmum,*

mum, cuius πλῆθος cauſa non ſit, ſed ſiccitas (quia ſimplex eſt intemperies) cauſa coniuncta carere eſt euidens. At omnis *phlegmone, inquit, πλῆθος pro cauſa habet, item quoduis eriſypelas, ac præterea Œdema, qui affectus omnes deſinunt, humoribus quibus creatur diſcuſſis.* Deniq; *etiam affectus omnes, qui plethoricam habet hypotheſin, cauſa, nempe plethora ſublata, ſtatim euaneſcunt: ut omnino appareat ſecundum* Galenum *aliud eſſe inflammationem, & aliud ſanguinem, aut bilem efficientem huiuſmodi inflammationem: quos humores, etiam ipſe* Galenus *ſubinde non recuſet appellare* συνεκτικὰς αἰτίας, *ſed nō* more Stoicorū. Sic enim *ſcribit,* ἔνια μὲν τῶν αἰτίων ἔστω καλεῖσθαι συγχωροῦμεν, οὐ μὰ διὰ ἴσα τῶν ἁπλῶς ὄντων ἐστὶ, ἀλλὰ τ' ἐν τῷ γίγνεσθαι τὸ εἶναι κεκτημένων.

Contra Iulianum.

Quid igitur *eſt* Anonyme, *quòd tu tantoperè nos prohibes ab uſu iſtius uocabuli, quo etiam ipſe uſus ſit* Galenus, *atq; eius rem ſignificatam in morbis planißimè expoſuerit, quam tu unà cum* Methodicis, *ut ſuprà oſtendi, temerè negas? Illi enim duntaxat* πάθος *remedium indicare dixerunt: ſed* Galenus *noſter in hoc genere morborum, quo fiat aliquid, aut ſit propter cauſam, non* πάθος, *ſed cauſam indicatricem aſfirmat.* ἐστὶ δὲ ἐκ τῶν προσαγομένων βοηθημάτων

ἐπιγνῶναι, ὅτι οὐ τὰ πάθη, ἀλλὰ τὰ αἴτια τῶν θεραπειῶν ἐνδείκνυται, τὰ γὰρ βοηθήματα ὑπεναντιοῦται οὐ τοῖς γιγνομένοις, ἀλλὰ τοῖς ποιοῦσι. ὡς ἡ κένωσις τῷ πλήθει ἐναντία ἐστί, πάθει δὲ οὐδενί, οἷον φλεγμονῇ, ἢ πυρετῷ. ἀναιρουμένου δὲ τοῦ πλήθους ὑπὸ τῆς κενώσεως, συναναιρεῖται καὶ τὸ γενόμενον ὑπὸ τοῦ πλήθους πάθος. Quæ cùm per ſe manifeſta ſunt, tamen ſuperioribus ex Galeno recitatis conſentanea, ut qui iam cauſam coniunctam amplius requirat à Galeno, uideatur in clariſsimo & meridiano ſole, deſiderare lumē. Rationes Ingraſsiæ ſoluens Anonymus, ac refellens argumenta, ad hypotheſes ſuas, tanquam ad ſacram anchoram, fugit: quas non demonſtrationum, ſed ipſius errorum fuiſſe cauſas, ab initio ſanè oſtendimus. Poſtea Ingraſsiæ concluſionē falſam eſſe
Fol. 270. dicit, quia ex ueris colligat falſum. Quis unquā hoc Dialecticus dixit? quippe præmiſsis ueris ex neceſsitate cōcluſio ſit uera, alioqui tota ſyllogiſmorū analyſis et doctrina nulla eſſet, ſi ex ueris ſequeretur falſum. Sed donemus etiā hoc Anonymo, qui tamē omnia minima ſolet in aduerſarijs reprehēdere. Quia uerò paulò antè oſtēdi, Galenū tribuere ſubſtantijs ſeu eſſentijs quorundā morborū cōiunctas cauſas, libet paulò altius tractationē de cauſis repetere, et autorū atque opinionū diuortia explanare, ut perſpicuū

inde

inde cuilibet eſſe poßit noſtrum aduerſarium, ſi negat in morbis cauſam continentem, non in Dogmaticorum, ſed Themiſonis, & Methodicorum hæreſi eſſe. Eraſiſtratus cauſarum duntaxat proximarum, quibus generatur morbus, rationem habendam cenſet. Nam in procatarcticis uel antecedentibus, nihil eſſe momenti, ut quis ſcienter & peritè curationem obeat. Contra illum ſcripſit Galenus, nec plura hoc loco de errore ipſius diſſerendum uidetur, ſiquidem autore Dioſcoride & Galeno, cauſæ in primis cōiunctæ rationē is habendam arbitratur. In cōtraria ſententia fuerūt Methodici, quorū autor & princeps fuit Themiſon, poſtea ſecuti ſunt illū Aſclepiades, Theſſalus, Iulianus, cōtra quē Galenus ſcripſit, reprehendentem aphoriſmū illum Hippocratis: quo dicit, Morbi, quos facit repletio, eoſdem curat inanitio. Quāquam autem mutilatus eſt ille liber Galeni, nihilominus quæ mens ipſius ac ſententia de cauſa coniuncta fuerit, bene poteſt intelligi, quā partim hactenus expoſui, partim deinceps interpretabor: ut quiuis intelligat, aduerſarium, non Galeni hac in diſputatione, ſed Theſſali potius aut Themiſonis eſſe ſectatorem. Methodici ergo nullas in morbis curandis cauſas conſiderandas arbitrantur. Nam ſi quæ cauſa ſit, tum

Plenior explicatio cauſæ continentis.

Methodicorū opinio, qui nullas dicunt eſſe in morbis cauſas cōiunctas.

morbum reſpectu ſymptomatis duntaxat cauſam eſſe exiſtimāt. In omnibus morbis cognoſcendis, ad duo duntaxat animū aduertunt: quæ communia ipſi ſeu κοινότητας nominant, quorum genus unum appelletur Aſtrictum, alterū nominetur Fluens: quibus omnia remedia, ut contrarijs indicentur, cauſarum (ut quæ nullæ ſint in morbis) habito nullo reſpectu. Sed de Methodicis rectè dixit Celſus, cognitionē morbi apud eos eſſe extra artem, ſed medicinam intra uſum eſſe & ἐμπειρίαν. Galenus ex parte dogmaticos, partim empiricos eſſe teſtatur, aut potius neutros, cùm uidelicet nec rationi, nec experientiæ ſatisfaciant. Ἀμεθόδους Methodicos ſæpe nominat, nec in ullam inuehitur acrius, quàm in factionem hanc, ut quæ rationem penitus ex arte ſuſtulerit, cùm ſcilicet nulla ratio abſq; cauſis nec intelligi nec explicari queat. Quocirca uerè dictum illud eſt de Methodicis à Celſo, quòd uidelicet nihil Empiricorū profeßioni adiecerint, ſed ademiſſe multa: quoniā illi multa circunſpiciāt, hi tātùm facilima proponant, & non plus quàm uulgaria. Artis abſolutio, cauſarumq; cognitio in omnibus, pertinet ad dogmaticos, qui, quòd nihil ſine cauſa faciant, Rationales idcirco dicuntur à Celſo. Sectæ iſtius princeps eſt & dux Hippocrates,

Galenus non tãtùm æmulus atque imitator, ſed etiam perfector: apud quos duntaxat, Artis & ſcientiæ nomen tuetur medicinæ profeßio, quæ eſt inchoata & rudis apud Methodicos, infinita & incerta apud Empiricos, profeßionis & non item artis titulo in utriſq; ſectis notanda. His relictis dicamus de Dogmaticis, qui in omnibus rebus ut conſiderentur cauſæ, præcipiunt. Sic enim Hippocrates monet: Eiuſdem inquiens, ſolertiæ eſt, & morborum cauſas cognoſcere, & mederi cognitis morbis. Tantùm autem intereſt inter curationes morborũ, quantum refert ſcire quá nam ipſi inter ſe diſcrepent ratione cauſarum, ac plerunq; certè non eſt ſimplex curatio. Nam ut ſit, uerbi gratia, calidus aliquis morbus, non ſatis eſt ſcire refrigerandum, quoniam ne uulgus quidem iſtud ignorat. Artifices norunt ut ſit refrigerandum, quo ordine, & quo modo, qualibus, & quantis remedijs, quis adhibendus uictus, quorũ nihil incognitis caùſis rectè poteſt inſtitui: quib. cauſis neceſſe eſt opera medici dirigi, indicãtibus ſcilicet cauſis quomodo tollẽdus ſit morbus, qui nõdum penitus obſedit corpus & nondum factus eſt incurabilis. Nam cauſis non tantùm fiunt, ſed etiam confirmãtur morbi, ut interdum ſubmotis cauſis, nihil tamẽ proficiatur. A melan-

cholico humore confirmatā elephātiaſin, nemo ſanè queat ullis remedijs depellere, nec confirmatam λεύκην, quæ generatur à pituitoſo, aut Gallicum affectum, & ipſum ſua quadam cauſa ſtabilitum: idem ſentiendum de alijs, qui radices altius egerunt in corpore, quàm ut medicamentis poßint cedere, ut ſunt confirmatæ uenenatorum uires. In gangrena confirmata phlegmone eſt, quæ ſubſtantiam & partis inſitum calorem omnino interimit. Ei mederi haud poſſis, quantumuis cauſam phlegmones, nempe impactum in anguſtis meatibus ſanguinem remouere ſatagas: quare hac ratione omnino perfectus eſt morbus, nec cauſam aliquam habet, cuius depulſione ipſe quoquè deſinat. Sunt alij quoq; abſoluti & perfecti morbi, & maximè curabiles, quorum nullæ ſunt amplius cauſæ, ut ſunt ſimplices intemperies morbidæ, & in febribus Ephemera, & hectica, ſi non nimis inualuerit: ſed in his cauſarum ratio nulla. In his qui ſunt cum cauſis compoſiti, plurima & præcipua, partim antecedentium, partim coniunctarum. Antecedentium, ne fiant morbi, aut ne facti ingraueſcant. Coniunctarum, ut facti quoq;, depulſis è corpore cauſis, profligari queant. Prioribus cautio, poſterioribus curatio debetur, quæ adhibetur etiam morbis qui-

buſdam

buſdam ſine cauſa ſubſiſtētibus, qui ſoli ſecundum Methodicos curātur, ac penes eos duntaxat indicatio eſt remediorum, quam tamen ineptiſsimè duabus communitatibus perſtringunt, de quibus paulò antè dixi. Galenus autem non ſolùm morbos indicare remedia ſcribit, uerùm etiam cauſas morborum, & quoad ſint, & quoad nondum exiſtentes generentur: nam his profligatis è corpore, & morbos deſinere aut ne fiant, uel amplius ingraueſcant, cautè præcaueri. Vt ergo ſublatis morbis ſimul tolluntur quoq; ſymptomata, ſic in nonnullis morbis, remotis cauſis, ſimul ipſi quoquè deſinunt, quandoquidem ſeparatam à cauſa eſſentiam (uidelicet abſolutam) nullam habeant. Nam ſi quæ διάθεσις abſoluta generetur à cauſa, iam non cauſa, ſed διάθεσις indicatrix erit curationis. Antecedentes cauſæ reſpectu cõiunctarum, talem interdum rationē habere dicuntur, qualem coniunctæ habent comparatione affectuũ: quorũ ipſæ ſunt perfectrices cauſæ. In utriſq;, quantumuis cauſæ fuerint remotæ, ei nihilominus qui relinquitur perfecto affectui, adhibetur curatio: ut ſi putrida creet hecticā, ſummota putrida nihilominus hectica curata non erit, At in his remouetur primùm cauſa, non ut ea ſublata, ſimul morbus quoq; deſinat, ſed ne augeatur,

geatur, & ut ſubmota cauſa, abſoluto iam morbo remedia poßint adhiberi. Cauſæ igitur Antecedentes omnino προφυλακὴν deſiderant, aut qua prouidetur, ne fiant morbi: aut qua, ne facti alterius ingraueſcant. Aliquando ex hypotheſi ſunt, & dicuntur coniunctæ morborum etiam cauſæ, eisq́; ſublatis tolluntur quoq; ſtatim, & deſinunt morbi, ut ſi mißione ſanguinis, aut purgatione, ſubitò morbus quiſpiam curatur. εἰ μὲν γὰρ ἁπλῶς πλῆθος εἴη καθ' ὅλην τοῦ ζώου τὴν ἕξιν ἐν τοῖς ἀγγείοις περιεχόμενον (ὅπερ ἰδίως ὀνομάζουσι πλῆθος) ἑτοιμόν τε παραχρῆμα κενῶσαι τοῦτο, καὶ τῶν συμπτωμάτων ὁ κάμνων ἀπαλλαγήσεται δι' αὐτοῦ. At ſi materia uitioſa uel qualitatis, uel quantitatis ratione, in certam particulam penetrans decumbat, non etiam ſubmota antecedenti (qua fiebat) eam quoq; quæ morbi in parte aliqua pars eſt, profligari cõtingit. Neq; etiam humores ipſi quando fuerint corrupti admodum, uel mißione ſanguinis protinus, uel purgatione; ſi ſint praui, ſtatum recuperabunt naturalem, & priſtinũ. Ita fit ut cauſæ coniunctæ morborum (quæ radices altius egerunt) multis & diuturnis uacuationibus interdum uix euellãtur. Aliquando morbi earum quando non ſuccreuerunt ad magnitudinẽ tantam, ut poßint deprehendi, nulli uidentur eſſe,

Cauſę coniunctæ quę altius radices egerunt, non facile uacuãtur.

quæ

quæ cauſæ latentes ſubitò tamen mortiferum creant affectum, & nullis medicamentis curabilem. Cuiuſmodi ſunt humores, qui aut uenena ſunt, aut uim & facultatem habent uenenatorum. Illi ſi prius expurgētur, quàm uehementer alterant corpus, cauſæ ſunt συνεκτικαὶ *contra naturam affectionis. Quòd ſi grauius afflixerint corpus, non ſimul etiam affectus deſinit, ipſis deſinentibus: cuius reſpectu iam non coniunctæ, ſed antecedentis cauſæ rationem habeant: qua ſublata, neceſſe non ſit morbū quoquè tolli. Quo in genere multum intereſt, & tantum inter affectum, & perfectum morbum, quantum ſæpe differunt ſcilicet curabilis & incurabilis morbus. Nec tum ſemper primùm incipit eſſe morbus, cùm eſt incurabilis. Paulatim enim cùm fiat aliquando, prius curabilem eſſe oportet, ſiquidem autore Hippocrate,* οὐκ εὐθέως αἱ νοῦσοι τοῖσι ἀνθρώποισι προσγίνονται, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν συλλεγόμεναι, ἀθρόως ἐκφαίνονται. *Ergo latentes cauſæ in corpore, morbos conſtituunt: qui ſi cognoſci à nobis poſſent, & cauſæ remouerentur prius quàm extrema uis earum corpus cōficeret, facilè poſſet occurri mortiferis illorū incrementis, ſera nimis quibus interdum medicina paratur. Enimuero Galeno autore, morbi* εἶδος *quantumuis paruum ſit, ac*

ſenſus

ſenſus noſtros effugiat, nihilominus eſt morbus, ut minuta phlegmone nihil differt à magna, niſi quòd hæc ſymptomatib. conſpicua eſt, illa uerò ſenſum noſtrũ latet. Hæc eò dicũtur à me, ut intelligamus in grauiſſimis affectibus prius eſſe morbidũ affectũ quẽdam, qui à nobis nõ percipiatur. Nam *ſi quis qualitatis gratia toto genere contra naturã uitioſus humor deliteſcat intra corpus, qui ſecundum naturam debeat excerni, adeoq; contra naturam etiam alterans, & afficiens ipſum corpus offendat, qui non magis morbus dicatur eſſe, quàm aſcarides, quàm atheromata, quàm ueſicæ calculus, quæ propter numerum duntaxat non naturalem, morbos eſſe pronunciamus?* Veruntamen *aliorum morborum fientium adhuc reſpectu, quæ* μίνιμον λιάθεσιν *non habeant, dicuntur coniunctæ cauſæ, quanquam per ſe morbos conſtituunt: quatenus toto genere cõtra naturam ſunt, & quodammodo* διαλντόρια. *At humores alij tantiſper contra naturam, & morbifici non dicuntur, quamdiu non impediunt ſanguinem: aut continentia, quo minus moueri, & affici poſſint ſecundum naturam.* Non *enim ſuapte natura & ſpecie propria morbos conſtituunt, ſed exuperantia quàdam nocent.* Alioqui *futuro obnoxio corpore* τῇ ἀναπαθέᾳ, *ſi ſpecie ſua contrà*

Venenatus humor in corpore deliteſcens rationem habet morbificam.

Quæ contenta ſtatim morbificam habeant uim, & quæ non.

contra naturam eſſent illi humores, quam ἀπ-παθάαν natura tamen rerum non fert, quandoquidem naturale non ſit, ſemper affici contra naturam. Ergo de corruptis, & planè contra naturam humoribus ita ſentiendum, quòd ipſi ſcilicet & numeri, & qualitatis gratia ſint morbifici. Et quatenus contra naturam afficiunt corpus, geminam habere uidentur conditionẽ. Vnã, qua dicãtur cauſæ cõiunctæ taliũ affectionũ quæ fientes adhuc rationẽ habeant παθημάτων. Alteram, qua antecedentis cauſæ, ut quando perfecta affectione remotis ipſis, affectus nihilominus perdurant. In eodem autem genere (nempe morbi) πάθημα opponimus morbo, quatenus abſq; cauſa ſua poßit ſubſiſtere. Et Galenus γινόμενα uocat, hæc νοσήματα, quæ remotione cauſarum ſimul tollantur, quare coniunctam habebunt cauſam. Alioqui ſi prohibeantur fieri morbi, propter remotionem Antecedentis cauſæ, non ſimul morbus, & cauſa dicuntur deſinere. Nequit enim id quod nondum eſt, cum eo quod eſt, ſimul auferri, & deſinere. Ex quo perſpicitur γινόμενα νοσήματα eſſe ſub genere morbi ſecundum Galenum, & ſic ſimul cùm cauſis deſinere, ut ſymptomata ſimul deſinunt cum morbis. In Commentario porrò 22. ſecundi Aphoriſmorum docet, remotionem hanc cauſæ in fientibus morbis non tantum

Quędam contenta ſunt ſecundum natura, quædam morbifica, & quædam progreſſu temporis fiunt morbifica.

Quomodo & quare γινόμενα νοσήματα cauſas cõiunctas.

tum

tùm eſſe προφυλακὴν, ſed etiam ἴασιν. Nam puram προφυλακτικὴν, eſſe, quando cauſa antecedens nihil adhuc morbidi crearit, ut ſi plethora ante morbum tollatur. Sed ἴασιν abſolutam, quando perfectus morbus ſine cauſa ſubſiſtens curetur. In fientibus morbis, quodammodo ex effectu & cauſa compoſitis, caueri ne quid fiat amplius, & quod contra naturam factum ſit, non amplius præcaueri, ſed ſua quadam cu ratione tolli. Aliquando, ſi eius cauſa ſit coniuncta, non aliam curationem quàm remotionem cauſæ antecedentis deſiderat affectio utcunq; adumbrata & inchoata, nondum autem perfecta. Interdum ſi iam non coniunctæ rationem habeat, ſed antecedentis, quæ aliqua ex parte perfecerit affectum, & aliqua ex parte adhuc augeat, tum non ſatis eſt, ſi cauſam remoueris, ſed prӕterea peculiaris adhibenda curatio ad id quod factum eſt: quum tamen in pathematibus ſimul curemus adumbratum affectum: & præcaueamus, ne quid amplius cauſa efficiat, quaſi conſolidando inchoatum affectum: quorum exempla nunc ſubijciemus. Prioris exemplum tale eſt apud Galenum lib. 2. Prorhet. comm. 16. καθάπερ εἴωθε κἂν ταῖς καλουμέναις λευκαις γίνεσθαι, ἄχρι μὲν γὰρ ἔντος ἐστὶ ἡ παρὰ φύσιν διάθεσις ἀλλοιούντων μὲν αὐτῶν τὰ στερεὰ σώματα, μηδέπω

Aliquãdo curatio & prouiſio ſeparatim, interdum ſimul expediuntur ut in fientibus tertio modo.

Quot modis προφυλακὴ & ἴασις ſeu θεραπεία iungantur.

μηδέπω δ' αὐτῶν ἠλλοιωκότων, ἅμα τῷ ἐκκενωθῆναι ταῦτα καὶ ἡ τῶν στερεῶν ἀλλοίωσις παύεται. ποτὲ μὲν ἡμέρᾳ μιᾷ, ποτὲ δὲ καὶ θᾶττον εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπανερχομένων. γινομένη γὰρ ἡ διάθεσις, καὶ οὔπω γεγονυῖα, συντόμως ἀποκαθίσταται, τοῦ ποιοῦντος αἰτίου χωρισθέντος. συμπληρωθείσης δὲ αὐτῆς, κἂν ἐκκενωθῇ τὰ ποιήσαντα τὴν διάθεσιν ὑγρά, πλέον δεῖν εἰς ὑγείας λόγον. Eodem cõmento oſtendit, *uenenatos quoſdam humores in corporibus noſtris ſæpe latitare, qui ſimilem uim habeant quam uirus uenenatorum quorundam, & illud præſertim, quod à rabidis incutitur canibus, quod ſubitò nullum ſymptoma creat, ſed poſt quatuor, aut ſex ſeptimanas hominẽ interficit, paulatim afferens exitiũ.* Alterius eſt exemplũ *in libro contra* Iulianum, *ut ſi plenitudo efficiat inflammationem, ob id plethora, quæ cauſa eſt phlegmones, ſi remoueatur, non etiam phlegmone deſinet, ſed propriam curationem deſiderabit quandam: tametſi ſublata plethora cauetur, ne creſcat amplius phlegmone.* Ita ſe *habentis cauſæ ratione, & exemplis* Methodici *conãtur demonſtrare, morborum non eſſe cauſas cõtinentes, nec ab ijs curandi indicationes ſumendas, ſiquidem cauſis quibus generati ſint morbi ſublatis: nihilominus permanere morbos contingat, qui ſuam quandam, & pro-*

Si quæ relinquitur imbecillitas partis, ea nõ ad morbum pertinebit: ſed ad neutralitatem ualeſcentiæ.

Methodicorũ opinio de cauſa continẽti.

priã curationẽ indicent. Ex quo Iulianus cõtra Hippocratẽ cõcludit, ὅτι τὸ πλῆθος ὑγρῶν οὐ νοσοποιεῖ τὰ σώματα. Sed ut Iulianus Methodicus κἀγγράφει τὸ ἐπιλαθὸν αὐτῷ μηδέποτε φροντίσας τῆς ἀληθείας: *ita faciũt omnes, qui cauſam coniunctã negant, quã nulla methodo freti futilib. argumẽtis oſtendũt non eſſe, ſed nequaquã demonſtrãt. Ac primò cõfundunt illi uocabula antecedentis cauſæ, et cõiunctæ.* Nam *duntaxat, à quo generatur quippiã, uocant cauſam, nec diſtinguunt* Antecedentẽ, *& coniunctam.* Quocirca *quod propriũ antecedentis eſt, id tribuũt quoq; coniunctæ.* Vt *uerbi gratia, morbus poteſt eſſe ſine cauſa, qua eſt generatus, id eſt, ſine cauſa antecedente: ergo omnino poteſt eſſe ſine cauſa.* Nam *quod relinquitur, inquiunt, cauſa non eſt, ſed effectus, qui iam cauſam nullam habeat.* Sed *nos habere morbum, cauſam dicimus interdũ non antecedentem quidem, ſed coniunctã.* Vt *phlegmones cauſa antecedens eſt plethora, aut aliud quiddam, ſed coniuncta eſt,* πλῆθος *ſanguinis impacti.* Aliquando *ex hypotheſi cauſa coniuncta &* Antecedens *concurrunt, ut in pathematis, in quibus ſimul ſubmouentur antecedens, coniuncta,* πάθος, *& ſymptomata.* Cùm *ergo in pleriſq; morbis antecedens non ſit cum morbo coniuncta, ob id in morbis* Methodici *nullam*

Methodici cauſam appellant duntaxat qua FIAT aliquid, & nõ qua SIT aliquid propter aliud quiddã.

Vt Eraſiſtratus ſolius coniunctæ rationem habet & nullam antecedentis, ita methodici antecedentẽ tantum opinãtur eſſe cauſam, & nullã coniunctã: dogmatici utrãq; dicũt eſſe conſiderandam.

nullam cauſam eſſe dicunt indicatricem curationis, quum diuerſa dogmaticorum tamen, & Hippocratis ſit ſententia. Nam ea ſi ſit, fore inquiunt coniũctam: ſed cauſas quibus generentur morbi, non etiam ex neceßitate iunctas eſſe cum morbis: quandoquidem ſublatis etiã ipſis, morbi nihilominus perdurent. Hæc *Methodicorum, &* Theſſali, *ac* Themiſonis *eſt ſententia: eadem quoq; eſt* Anonymi, *qui factos morbos nullam habere cauſam contendit.* Proinde *etiamſi maneat antecedẽs cauſa cum facto morbo, ne tum quidem rationẽ habebit coniunctæ, ſed antecedentis.* Quoniam *ſua præſentia non creat morbum, ſed creatum duntaxat auget: & quo minus curatio ei poßit adhiberi, ſua præſentia impedit.* Quocirca *niſi prohibeatur, augmentum morbi prius, ipſe per ſe morbus curari haudquaquam poterit.* Quo *factum eſt, ut* Aſclepiades *diceret:* τὸ πλῆθος προκατάρχειν τῆς νόσου, *& eius remotionem iuuare curationem morbi, non autem curare morbũ.* Alioqui *enim ſi eſſet* συνεκτικὸν αἴτιον, *humoris plenitudo, tum neceſſe eſſet ea remota, ſimul morbũ quoque deſinere. Sed inquiunt, ſæpe fit ut multitudine humoris detracta, incipiant deinde potius augeri morbi, quàm diminui.* Hæc *in ſpeciem ueriſimilia dici, ait* Galenus, *ſed rationi-*

Anonymus in hæreſi eſt Methodicorum.

Si antecedens maneat generato morbo, ne tum quidem rationẽ habet coniunctæ. Quare ſecundum Methodicos, ſi Antecedens nõ poteſt eſſe cõiuncta, nulla prorſus erit coniuncta.

Diuiſio τοῦ πλήθους apud Galenum in libro contra Iulianum.

bus dogmaticis, & demonſtrationibus fidem nullam facere. Poſtea Galenus πλῆθος bifariàm diſtinguit. In id quod dicitur, πρὸς δύναμιν, & id quod appellatur πρὸς τὴν χώραν. Vtrunq; deinde rurſus bifariàm diſtribuit, in id quod toto corpore reſidet, & id quod certam, aut certas partes corporis occupat. Deinde utriuſq; modi πλῆθος cauſam coniunctam morbi eſſe oſtendit, ut Œdematis humorem pituitoſum, & phlegmones humorem ſanguineum, in certis partibus impactos. Eos autẽ morbos, qui habeant plethoricam hypotheſin, oſtendit ſimul etiam deſinere, ut plethora fuerit detracta. Et has quidem cauſas, ſe appellare conſueſſe coniunctas cum morbis, ut qui ſeparatã à cauſis nullam habeant eſſentiam. Sin uerò contingat, ſua propria quadam eſſentia morbum ſubſiſtere, tum non eſſe coniunctas, ſed antecedentes potius, quippe quibus remotis nihilominus effectum ſeu morbũ eſſe ſit neceſſe: ut ſi phlegmone maraſmum faciat, aut Œdema ἀτροφίαν, qui morbi à cauſa, qua ſunt generati, abſolutam quandam & ſeparatam habent eſſentiam. Sed

Methodicorum rationes, quibus freti morborũ cauſas cõiunctas negant.

Methodici ſic diſputant: Si in humoribus ineſſet uis cauſæ, qua Morbi dicũtur eſſe, tum profectò quàm primùm uacuare liceret illos, uacuatisq; mox liberari aliquem morbo contingeret.

geret. Sed pleriq; morbi longo tempore durăt, tametſi initio facta ſit uacuatio multa. Ergo *humores cauſa non ſunt morborum cōiuncta, nec aliqua ratio illorū habenda in curationib. tantumq; ad communitates & φαινόμενα aduer tendus eſt animus: nec latentium cauſarum, in morbis curandis, momentum aliquod erit: ſiquidem nullæ ſunt cauſæ, & ipſi per ſe duntaxat morbi cum ſuis ſymptomatibus appareăt.* Reſpōdeamus nūc Theſſalo, *eadem opera puto nos ſatisfacturos quoq;* Anonymo: *quod uidelicet ambo ſint in eadē hæreſi, eodē reſpōſo utriſq; occurrendū.* Verū nō eſt, *quod dicūt, & tăquā cōceſſum aſſumūt, quālibet cauſam promp te uacuādo tolli, ſed morbos difficulter plerū que & ægrè propulſari.* Tametſi *plenitudo, in amplioritb. et totius corporis uenis, facilimè miſ ſione ſanguinis detrahitur: & hac ratione, plethoricam habentes hypotheſin, morbi ſine negotio curentur: ſecus tamen res comparata erit multitudine ſanguinis, in anguſtos meatus impacto, quæ diſcutientibus medicamentis tardius inanitur, cuius diſsipationem ſolutio ſequi tur phlegmones.* Idem *ſentiendum de humoribus uitioſis, aut qualitate, aut quantitate corrumpentibus ſanguinem.* Nam *quorum cauſa non magnopere deprauatus fuerit ſanguis, in-*

terdum ſimul omne uitium facile ſit expurgare, & in integrum reſtituere ſanguinem. Hanc *uacuationem ſæpe natura quoq; molitur, quã declarauit hoc Aphoriſmo* Hippocrates. ὑπὸ ὑδρῶπος ἐχομένῳ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις. Item, ἢν ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἰσχυρὴ ἐπιγένηται, λύει τὴν νοῦσον. Item, ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι ἀγαθόν. *Sed corruptum penitus ſanguinem non poſſe morbo liberari, ipſe Galenus autor eſt, qui perinde ut acetum aut uinum omnino aceſcens emendari negat poſſe, ut uini recuperet naturam: ita nec ſanguinem penitus corruptum reſtitui poſſe cenſet. Quinetiam magnam* διαφθορὰν *ſeu corruptelam emendari multo labore, & longo tempore, detrahendo partem uitioſam, & ſufficiendo integriorem. Nec morborum profectò cauſæ, in ſanguine ſubitò poſſunt profligari, ſi magno uitio humorum affectus ipſe debeat reſtitui in priſtinum & natiuũ ſtatum.* Valent *hæc argumenta contra falſam opinionem* Methodicorum, *qui nullo reſpectu cauſæ morbos curari dicunt.* Hippocrates *autem &* Galenus *paßim cauſas præcipiunt conſiderandas, & maximè coniunctas.* In *libro de optima ſecta* Galenus *iſtud accuratißimè demõſtrat, ut mirari ſatis non poßim, qui factum*

Contra Methodicos ualentes rationes.

fit

ſit, ut contrariam ſententiam Galeno affingeret aduerſarius, quum tamen nuſquã dicat morborum nullam eſſe cauſam coniunctam, præter hanc quam Herophilij introduxerunt, de qua aliàs diximus. An non plurimis in locis Methodi, docet præmcipientem nihil per ſe indicare? Antecedentem, indicare præſeruationem ſeu προφυλακτικὴν, non curationem? Coniunctam uerò cauſam indicare remedia, quemadmodum etiam morbus ſimpliciter, cùm eſt ſine cauſa illa, ſolet indicare, quæ debeãt in cura adhiberi, contraria nimirum, quæ nõ ſemper affectibus, ſed cauſis aliquandò affectuum adhibeantur. Quanquam ſubinde curationem ad affectum dicit accommodari, ut præuiſionẽ ad cauſam antecedentem, ut cauſæ coniunctæ in morbis nullam uideatur habere rationem in Methodo, ἴασιν ſeu θεραπείαν, inquiens, pertinere ad morbum, ſed προφυλακτικὴν ad cauſam morbi antecedentem: quæ duo, præcipua Medici ſunt opera. Cæterum cauſarum antecedentium ſubmotione, & præuiſis iſs tum demùm occurrit morbis Medicus, & plurimos factos certè curare nõ poteſt, niſi tollat antecedentem cauſam, qua uel creſcere, uel tẽpore et diuturnitate prorogari præſentem contingit morbum. His duobus ſcopis diſtinguit omnia facienda, ne quid

Galenus non negat continentẽ in morbis cauſam, ſed negat antecedẽtes uim habere continentium.

Quare in methodo curatio nem adſcribat ſemper morbo, & nõ cauſæ.

fiat ſcilicet contra naturam: & ſi quid factum ſit, tollatur medicamentis. Quòd ſi morbus omnino factum quiddam eſt, quomodo, inquies, cauſam habere poterit? quòd ſi nullam, ne coniunctam quidem habebit. Nam, autore Galeno, γιγνόμενα ſunt, non γεγονότα: quæ cauſam habent, ut ſuprà oſtendimus. Ex quo ſequitur, Methodicis rectè uideri, quãdo dicunt morborum (qui ſunt omnes factum quiddam) nullam prorſus eſſe cauſam, ſiquidem coniuncta non ſit, quæ ſanè haud poterit eſſe, ſi duntaxat γεγονότος, & non item γιγνομένου rationem morbus habuerit. Reſpondemus, morbos ſine exceptione omnes (præter pathemata) reſpectu Antecedentium & præincipientiũ cauſarũ, in numero eſſe perfectorũ et γεγονότων, ac ipſos per ſe, abſq; cauſis, ſubſiſtere: eiſq; ſolis θεραπείαν tantùm, & non προφυλακὴν deberi. Quamobrem cùm eſſentia ſit, qua res eſſe, & non fieri dicatur, cauſæ à Galeno duæ conſtitutæ προκαταρκτικὸν ſcilicet, & προηγούμενον, quibus fiũt morbi, ſed non ſunt, pars nequáquam erunt eſſentiæ morbi, ut reſpectu illarum cauſarum rectè, ſecundum Galenũ, quiſpiã dixerit morbos non habere cauſas cõiunctas. Et quanquã nulli morbi, quatenus ſunt γεγονὸς quiddã, cauſam habeant, nihilominus in ESSENTIA *ipſorũ*

Quibus ſcopis dirigatur Methodus curandi.

Obiectio.

Quo pacto morborũ nulla ſit ſecundũ Galenum cauſa coniuncta.

locum

locum habet, ut ſint nimirum & dicantur quidam ſimpliciter Facti, *quidam uerò ſuæ eſſentiæ habeant* ὁμόγονα *ſeu* συνεκτικὰ αἴτια, *quibus nonnullarum rerum eſſentias & demonſtrari & definiri diximus: quæ nimirum* αἴτια, *magnam quoq; facere indicationum differentiam, contra* Methodicos *probat* Galenus *noſter.* Et *morbi quidem, hac cauſa compoſiti, non, niſi ratione huius cauſæ, curationem indicant, & quod propter cauſam indicare dicuntur (cùm ſit nimirum cauſa hæc pars eſſentiæ ipſorum) id ipſis morbis indicari quodammodo, dicere nõ ſit abſurdũ.* Ergo *phlegmone, ratione ſuæ cauſæ, indicabit quibus remedijs ſit profliganda.* Sed *intemperies calida ſine materia, ſi uim habeat morbi, ſemetipſa, quo medicamento ſit curanda, declarabit.* Phlegmone, *reſpectu cauſarum quibus naſcebatur, eſt* γεγονὸς, *& factum quid ſimpliciter.* Sed *cùm ſit quiddam habens* ὁμόγονον αἴτιον, *id eſt, intemperies ſit calida, cum ſanguine impacto iuncta, hac ratione fiẽs &* γινόμενον *quiddam, non autem* ἁπλῶς ὄν, *à* Galeno, *locis ſuprà cõmemoratis, appellatur.* Quorum *mentionem non fecit in* Methodo, *ut nimirum* προφυλακτικὴν *&* ἴασιν *ſeu* θεραπείαν, *homonymia uocabulorum non confunderet: cùm morbus non eodem modo* γινόμενον *quid-*

Qua ratione dicantur etiam à Galeno morborũ quorundam cauſę continentæ.

Galenus diuidit morbos in eos qui ſimpliciter ſunt, & eos qui cũ cauſa quadam ſubſiſtunt coniuncta.

dam ſit reſpectu coniunctæ, quo eſt reſpectu cauſæ Antecedentis: *quæ cauſa pars nequit eſſe* γεγονότος, *ſeu facti morbi.* Ex *quo par eſt intelligi, nihil indicare* θεραπείαν, *ſeu curationem, niſi morbum, qui ex neceßitate nõ eſt cauſa, ſed effectus quidam, ſeu* γεγονὸς. Verùm *cùm ſit duplex ratio morbi, quoad nimirũ quidam ſimpliciter eſſe dicitur, & alij ſint qui cauſis quibuſdam ſint compoſiti: prius genus, ſemetipſo: poſterius, reſpectu cauſæ ſuæ, curam indicabit.* Ergo *penes* γεγονότα *ſic erit* ἔνδειξις *omnis, quemadmodum penes cauſas effectrices* τῶν γεγονότων, προφυλακὴν *eſſe dicimus,* Θεραπείαν *autem cauſis coniunctis, non per ſe, ſed propter morbum, adſcribimus: cùm per ſe, nihil indicet curationem, niſi morbus, ſed medicamenta (quæ ſunt contraria) aliàs morbi, aliàs uerò cauſæ coniunctæ morborum indicãt: quo tanquam ualidißimo argumento Galenus in libro de* Optima *ſecta, contra* Methodicos *diſputans, oſtendit, non cõmunitatibus, ſed cauſis potius morborũ coniunctis, indicari quid ſit in curãdo faciendũ.* Ex *quo eſt euidens, eos qui in morbis cauſas cõiunctas negẽt, nõ* Galenicos *ſeu* Dogmaticos, *ſed* Methodicos *potius appellandos: cuius cauſæ inficiationẽ alicubi* Dioſcorides *quoq; ipſis exprobrat, quãdo nimirũ ex*

ueneno creatos morbos, negant ratione cauſæ cõiunctæ indicare remedia: neq; enim uenena alicuius cauſæ ratione in curationibus poſſe habere, dicũt Methodici. Nõ antecedẽtis, quia antecedẽs morbo perfecto ſeparetur, ut ſunt labor, æſtus, frigus. Sed uenena nõ hoc modo ſeparari, quãobrẽ nõ eſſe Antecedẽtes. Proinde coniũctas ſimul quidẽ eſſe, ſimulq; augeri, minui, deſinere morbos cũ ipſis. At ueneni uim plerũq; morbũ cõciliare, ut etiã ſi cauſam ſuſtuleris, nihilominꝰ peſtifera qualitas et διάθεσις *maneat ut in rabidi canis morſu, inquiũt, eſt euidẽs. Quoniã ad ſolidas partes ꝑueniẽs qualitas ueneni, nullũ ſinit locũ eſſe cauſæ cõiunctæ. Nulla enim erit amplius cauſa: qua ſublata, ipſum quoq; morbũ tolli cõtingat, ut hac ratiõe cauſa cõiuncta dici uenenũ nõ poßit. At nos reſpondemus Methodicis, primùm ipſos cauſas nõ ritè diuiſiſſe. Nam ratio, quã ipſi adſcribũt Antecedẽti, cõgruit magis præincipienti. Deinde cõfirmatã uim & qualitatẽ ueneni in ſolidis, ultrò cõcedimus carere cauſa continente, & incurabilem eſſe affectum, qui ſit hoc modo perfectus. Autore enim Galeno* συμπληρωθείσης τῆς διαθέσεως, κἂν ἐκκενωθῇ τὰ ποιήσαντα τὴν διάθεσιν ὑγρὰ, πλέον οὐδὲν εἰς ὑγείας λόγον. *At curabilis eſt (inquit) affectio, quando adhuc fit,*

Diſcorides li. 6. cap. 34. cõtra Methodicos, probat, eſſe cauſam morborũ coniunctam.

Argumenta Methodicorum.

Reſponſum Dioſcoridis.

& ueſ

& uenenum rationem habuerit coniunctæ cauſæ. Nũquam *enim poteſt rationem habere* An*tecedentis morbum, niſi reſpectu confirmationis* διαθέσεως, *cùm quandocunq; fuerit in corpore (ſiquidem toto genere contra naturã eſt) in eo morbum, tanquam cauſa coniuncta, conſtituat: qua ſublata, etiã fiens* διάθεσις *adbuc,* συντόμως, *ut ſcribit* Galenus, ἀποκαθίσταται. Q*uò reſpicientes uenenum dicimus* φθοροποιὸν, *quatenus nimirum cauſæ uim habet cõiunctæ: quam, ut* Dioſcorides *ait, principem facere cu rationis ſcopum oporteat.* Et *antequàm ad ima decumbant morbi, uarijs (inquit) modis eſt certandum, donec uis tota corporibus excutiatur.* Coniun*ctam uerò cauſam ipſo uocabulo* φθοροποιοῦ *ſignificari, & rerum ipſa natura, & uocabuli ipſius compoſitio declarat.* Tametſi *uoculæ quoq; ipſi ſignificationem cauſæ, falſa interpretatiõe,* Methodici Sophi*ſtæ detrahũt.* Neque *enim* ποιὸν *ſignificare aliquid, nempe uim effectricem in uocabulo* φθοροποιοῦ, *ſed eſſe* παρέλκον, *& productionis cauſa additum: ſeparatim, quod pertineat ad rem ſignificatam, nihil ſignificãs, ut ſi quis appelletur* Μελάνιππος, *nihil ſignificat* ἵππος, *& in uocabulo* ἀνακαλύπτειν, *pars uoculæ, nempe* ἐκκαλύπτειν, *nihil ſignificat.* Nam *uelare, omnino oppoſitũ ſignificat ei*

Voculam φθοροποιὸν methodici negant complecti ſignificationem cauſę.

cat ei, quod ſignificatur uoce Reuelare. *Siquidem, autore* Ariſtotele, *non idem ſignificat uox cum alio compoſita, & ipſa per ſe ſeparatim poſita.* Idem *quoq; uſu uenit in nominibus infinitis.* Nam *infinitum nomen cùm ſit,* NON HOMO, *pars huius nominis ſeparatim nihil ſignificabit: quoniam per ſe homo finitam rem ſignificat, quæ ſubeſſe ſignificationi infiniti nominis haud poteſt.* Ex *hoc numero* φθοροποιὸν *quoq; uoculam eſſe dicũt, morbũ duntaxat, & non item cauſam ſignificantẽ.* Rèſpondet Dioſcorides, *ſe non inficias ire, quin in pleriſq; uoculis partes ita ſint comparatæ, ſed iſtius generis uocem non eſſe* φθοροποιὸν. Nam *quod ſeparatis uocibus ſignificetur, idem utriſq; quoque compoſitis ſignificari, tanquam ſi diceres* ποιητικὸν τῆς φθορᾶς, *intelligi* φθοροποιοῦν: *ac perinde eſſe, ſi quis compoſitè dicat,* παιδιχαινδίψος, *atque ſi diceret,* παῖδα ἰχειν δίψος. *Hæc ferè ſunt quæ contra* Methodicos *diſſerit* Dioſcorides, *qui & ipſe cùm ſit dogmaticus, cauſæ cõtinentis in morbis habendam arbitratur rationem, ad hũc ſcribens modum.* Qui *uerò ſe dogmaticos profitẽtur, cauſam eſſe partim præparantẽ partim cõtinentem aſſerunt.* Sed *de his dictũ ſatis.* Nunc *porrò ex* Anonymo *quæro, utrũ* Methodicus *an dogmaticus dici malit?* Si *dogmaticus*

Nominis partes ſeparatim nihil ſignificant.

Dioſcorides aſſertor cauſæ continentis in morbis.

ticus eſſe uult, haud dubiè intelligit, canendam ſibi palinodiam: & cauſam continentem, quam hactenus contendit eſſe nullam, reducendam poſtliminio ſibi, et aſſerendã eſſe. Quòd ſi recuſet facere, Theſſali magis ipſum quàm Galeni ſectatorẽ eſſe dicendũ, qđ hactenus me planißimis argumẽtis oſtendiſſe cõfido. Quibus adnumerari deinceps uelit, ipſi optionem relinquo: aut ſe rectè ſentire meliorib. rationibus doceat, quàm hactenus demonſtrarit. Quæ reſtãt deinceps Anonymi argumẽta, uolumus perſequi: tametſi pleriſq; iam ſatisfactũ ſit, ut amplius deſiderari nihil poſſe exiſtimem: quo minus noſtra

Aliud. uera, ipſius autẽ falſa uideatur eſſe opinio. Ingraßias affirmat ſanguinẽ in tumore phlegmones impactũ, eſſe cauſam, et eam cõiunctã: quia

Fol. 269. diminuto, minuatur quoq; phlegmone: & penitus diſcuſſo, tumor quoq; deſinat. Occurrit eì

Anonymus occurrit Ingraſſiæ reſpõſo Methodicorum.

Anonymus reſponſo Methodicorũ: Non enim ſi minuatur ſanguis, ob id tumorẽ quoq; ſubſidere. Quaſi Ingraßias dicat, antecedentem phlegmones eſſe cõiunctã ipſius cauſam, quò deflexerunt etiã Methodici, cùm refellerent cõiunctã. Tale eſt argumentũ Iuliani, quem in præſentia imitatur Anonymus. εἴπερ ἐν ὑγροῖς εἶν τὰ τῶν νόσων αἴτια, δυνατὸν ἐστὶν ἡμῖν ἐν τάχει κενοῦν αὐτὰ, μηδενὶ νοσήματι χρονίζειν ἐπιτρέπειν. ἀλλὰ μὴν χρο-

νίζει

νίζει γε πολὺ, ἣν ἂν κατὰ τὴν ἀρχὴν αὐτῶν ἱκανῶς ἐκκενώσαιμεν τὸ σῶμα. οὐκ ἄρα εἰσὶν ἐν ὑγροῖς τὰ αἴτια. Ergo & Anonymus Methodicus eſt, ad hũc ſcribens modum:

Sãguinis enim redũdantia tota etiã ſublata, nihilominus tamen tumor phlegmoneus manet.

Suprà reſpondimus: tantùm hæc propono, ut oſtendam Anonymum defeciſſe ad Theſſalũ, relictis Galeni caſtris, in quibus uerſabatur. Poſtea uerba interpretatur Galeni, quum ſcribens cõtra Iulianum dicit, uacuatione humorũ tolli non διαθέσεις, *ſed* πάθη. *Sed* πάθη, *id eſt, morbos fientes, inquit, concedimus ſublata cauſa, ſimul ipſos quoq; tolli. Galenus aliâs certè docet, non rarò effectus quoq; abſolutos à Græcis appellari* πάθη. *Et in libro de Optima ſecta,* φλεγμονὴν *perfectã & putridã febrim, nominat* πάθος, *præſertim hoc nomine, quo illic* διαθέσεις *has conſiderat, reſpectu ſuæ coniunctæ cauſæ. Et in libro contra Iulianum, ſpaſmum, tremorem, & ſimiles affectus, ut* πάθη *nominet: nihilominus* γεγονὸς πάθος, *paulò ſuperius appellat, & item* νόσους, *ac inferius etiam* διαθέσεις *nuncupat, ſic ſcribens.* ἔνιοι γὰρ σὺν ταῖς κενώσεσι αὐτίκα πάντων ἀπαλλάττονται ὀχληρῶν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἴσασιν τὰς διαθέσεις αὐτῶν οἱ ἰατροὶ πάντες, οὔτ᾽ εἰ γινώσκουσι, εὐθέως διαγινώσκειν δύνανται.

Quare

Quare, ne à uocabulis quidem defenſionis ſuæ præſidium aliquod Anonymus *habere poteſt.* Ergo *demonſtrauit* Ingraßias, *in morbis magnitudinis, ut in tumore, cauſam eſſe coniunctam.* De *gypſeo humore reſpondeo, aut ipſum morbi in numero, aut morbi ſecundum magnitudinem aut figuram, eſſe coniunctã cauſam.* Nam *ſine his ſitus contra naturam non habet appellationẽ morbi.* Reliqua *argumẽta ſunt ſuperiorib. ſimilia, nec meretur cõfutationẽ.* Tam *multa abſurda ſæpe dicit, ut uix ipſum intelligam.*

Fol. 250. *Quid multa? inquit, non humore craſſo & gypſeo, ſed tumore ab ipſo facto ſubmoto, magnitudo uitiata, & alia quæ hunc ſequuntur ſymptomata tolluntur, & unà euaneſcunt.*

Aliud.

Tumore *(inquit) ſublato, tanquam morbo, & non ſublato humore gypſeo, tolluntur magnitudo, & reliqua tumoris ſymptomata.* Neſciebam *magnitudinẽ eſſe ſymptoma tumoris.* Hactenus *ſemper putaui, tumorem eſſe ſpeciem magnitudinis contra naturam, quæ ſit morbus: & reſpectu humoris, tanquam genus quoddã.* Quo *pacto nunc genus tumoris factum ſit ipſius ſymptoma, autore* Anonymo, *diuinare profectò non poſſum.* Nec *intelligo etiam, quomodo tumor poßit ſubſidere, & particula ad magnitudimem*

gnitudinem redire naturalem, ſi gypſeus aut craſſus humor, nempe cauſa coniuncta non remoueatur. Illa profectò ſunt ὑπὲρ ἡμᾶς λεγόμενα, & Oedipodem quendam cōiectorem deſiderant, quæ in præſentia inuoluit uerbis aduerſarius. Poſtea luxationem, Ingraßias dicit eſſe cauſam coniunctam figuræ tortuoſæ cuiuſdam membri. Cōſtat luxationem eſſe morbum ſolutæ unitatis inſtrumenti. Potuiſſet hoc loco reſpondere Anonymus, nihil impedire quo minus alius morbus, alij, tanquā ſymptoma quoddam accidat, nec luxationē ſimpliciter eſſe cauſam morbi. Minimè uerò conſentanea eſt huius argumenti ſolutio, quam affert. Nam luxationem fatetur eſſe morbum, ſed figuram deprauatam eſſe reuera ſymptoma. Reuera ſymptoma eſt, in cuius definitione includitur morbus. Sed in prauitate figuræ definienda, quis unquā morbum includi, audiuit? ut uerbi gratia luxationem? Aut ubi Galenus ſpeciem, aut genus morbi, uſpiam in ſymptomatibus reuera collocauit? Ergo ſymptomata & morbos perpetuò confundit Anonymus, ut probare ſcilicet poßit nullam in morbis cauſam eſſe continentem. Figura (inquit) uitiata morbus minimè eſt, ſed ſymptoma. Præter Anonymum hoc nemo dicit, alij morbum morbo dicunt poſſe accidere,

Aliud.

Morbo accidit, ut aliquādo ſit ſymptoma, ſed reuera nō eſt ſymptoma.

Fol. 276.

ſed morbum ſymptoma eſſe reuera nemo unquam dixit. De *his qui ſic loquuntur, & confundunt morbū cum ſymptomate, ad hunc modum ſcribit* Galenus *in libro de* Differen. *morborum:* τούτους μὲν οὐ μεμπτέον, οὐκ ἀναμένοντας τὸν ἔξωθεν ἔλεγχον, ἀλλ' αὐτοὺς ἑαυτοῖς περιπίπτοντας. *Quàm copioſè poßim illum hoc loco refellere, facilè intelligent, qui inter morbum & ſymptoma diſcrimen propoſitum à* Galeno *nouerunt, ſed nolo diutius demorari patientes lectores, ne ſæpius repetita, tandem faſtidium pariant. Sed tamen non poſſum quin exclamem, ut ille ait in* Trinūmo, *quum figuram uitiatam Anonymus morbum ſecundum Galenum eſſe negat. Metuo certè ne cauſa hæc continens ei cauſam & anſam præbeat euertendi omnia dogmata Galenica. Suprà oſtendimus, eum perperàm interpretari locum illum Galeni, qui ſit lib. 3. cap. 10.* Methodi. Ingraßias *rurſus ſcitè docet exemplis, in aſperitate trachea arteriæ, quæ ſit morbus, pro cauſa coniuncta poſſe aliquando ſiccitatem aßignari.* Galenus *aſperitatem ad genus conformationis pertinere docet, atq; adeò eſſe morbum, non ſymptoma.* Anonymus *irridens* Ingraßiam, *ſymptoma eſſe dicit, & non morbum. Siccitatem uerò eſſe morbum.* Ego & Ingraßia *cenſemus eſſe cauſam, & non*

Galenus lib. de cauſis morborum.

Aliud.

& non morbum. Non enim ipſa per ſe primò lædit actionẽ, ſed interuentu aſperitatis, qui eſt morbus in διαπλάσει. Non enim omne quod efficit uitioſam διάπλασιν, ipſum quoq; morbũ eſſe oportet, ſiquidẽ per ſe non ſit impediẽs alicuius actionis. At ſiccitatis huius nullum per ſe ſymptoma eſſe apparet, quare cauſa duntaxat erit, & non item morbus. Iterum Anonymus, quod per ſe cauſa eſt, morbũ appellat: & quod morbus, id per ſe ſymptoma eſſe pronunciat: id ipſum, quod in alijs reprehendit, perpetuò committens peccatum, & ferè ſemper (quod ipſe exprobrat Ingraßiæ) neglecto cauſæ ſtatu, interrogatus de cepis, reſpondet de allijs. De plethora deinde & affectibus plethoricam habentibus hypotheſin. Item de lapide in ueſica, altercantur ambo, ſed his aliâs reſpondimus. Attamen non poſſum, quin ſyllogiſmum hunc diſſoluam ei, quem perpetuò nobis tanquam Achillem opponit. Omne quod obſtruit, eſt obſtructio. Sed craſſus humor obſtruit. Ergo, craſſus humor eſt obſtructio. Sæpe fit, ut ſyllogiſmi terminos non ritè deſcriptos habeant, quos ſi per metalepſin interpretêre, falſitas ſyllogiſmi appareat. Etenim obſtruere dicitur tranſitum & πάθος ipſum, nempe obſtructio, & cauſa item πάθους, craſſus

Aliud.

Obſtruit obſtructio ſub ratione cauſæ (ut uulgo lo-

quuntur) formalis. Sed humor obſtruit, ſub ratione efficientis.

uidelicet humor. Si ſignificetur medio termino, humor, maior ſcilicet propoſitio erit falſa. Sin uerò ſignificetur πάθος, tum minor claudicabit. At ſi gemina ſignificata uſurpentur, tum quatuor terminis confectus erit ſyllogiſmus. Quare uitioſum conſtat eſſe hunc ſyllogiſmũ. De hoc genere uitij, ſic monet Ariſtoteles in Analyticis prioribus. πολλάκις δὲ διαψεύδεσθαι συμπίπτει, παρὰ τὸ μὴ καλῶς ἐκτίθεσθαι τοὺς κατὰ τὴν πρότασιν ὅρους. Sed aduerſarius hæc puerilia non curat: quare quæ reſtant, perſequamur. Ingraßias, & omnes docti, tumorem aliud eſſe dicunt, & aliud obſtructionem. Nam tumor obſtruit, id eſt, facit obſtructionem: ſed obſtructio non facit obſtructionem, alioqui ipſum ſeſe quidpiam efficeret. Sed Anonymus quod facit, & id quod fit, idem eſſe pronunciat. Altercantur ambo deinceps de lana caprina. Ingraßias, phlegmones tumorem & obſtructionem differre opinatur, & phlegmonen tumoris, tumorem cauſam obſtructionis in ileo dicit eſſe. Anonymus phlegmonẽ & obſtructionẽ idẽ dicit eſſe, ac non (quod æquius erat) morbũ alterius morbi accidens eſſe fatetur: quod Galenus facit in libro de Differentijs morborum, ad hunc ſcribens modum. εἰ γὰρ ὁ χιτὼν τῆς ἐν τοῖς σιμοῖς τοῦ ἥπατος, εἰ τύχοι, φλεβὸς, ὁτιοῦν τοιοῦτον παθὼν ἐστε-

Aliud.

γνώθη

γνῶθι τὸν πόρον, ἐξ οὗ μεταλαμβάνει τὸ αἷμα τὰ ἐν τοῖς κυρτοῖς τοῦ ἥπατος ἀγγεῖα, δύο ἂν ὄντως ἦν νοσήματα, τό, τε τῆς φλεβὸς αὐτῆς ὃ πέπονθε, καὶ ἡ κατὰ τὸν πόρον ἔμφραξις. *Quis quaſi albedinem & dulcedinem in ſaccaro idem dicit, niſi qui rerum diſcrimina prædicamentorum generibus non poteſt diſtinguere? Non enim ſi quæ ſubiecto ſunt idem, propterea ſimpliciter ſunt idem: ut ſi phlegmone & obſtructio ſunt in ileo, idcirco idē ſunt phlegmone & obſtructio. Verūtamen omnibus, quæ in hac diſputatiōe proponūtur, ijs hypotheſes ſuas tanquam Lydium lapidem admouet, quibus tamen magis ueritatem rationum adulterat, quàm ut eam ſine errore detegat & explanet, quas millies repetens neceſſe non eſt: ut ſubinde eas falſas eſſe doceam. Rurſus ad lapidem ſuum redit, quem in ueſica dicit eſſe ipſam obſtructionē, ſi obſtruat, fretus hoc ſyllogiſmo. Obſtructio obſtruit. Lapis obſtruit. Ergo lapis eſt, obſtructio. Nullus unquam toties in lapide uno offendit: quàm ille in lapide ueſicæ. Syllogiſmus ille facit pro Anonymo cōcludendo in ſecunda figura ex ambabus affirmantibus. Hunc ei propter ſuas hypotheſes & prolegomena condonabimus. Et quid mirum, ſi penes ipſum ſit uictoria, cùm tam multa ex Galeno teſtimonia proferre poßit, quibus probat*

πάθος, eſſe ipſam οὐσίαν?

Fol. 294. *Quapropter ubi (inquit) ad tãtam molẽ perueniunt humores, aut incrementa aliorũ corporum, ut iam meatum aliquem obſtruant, non ſunt niſi ipſa obſtructio, & minimè obſtructionis cauſa, quemadmodum erãt cauſæ, ubi totum meatum nondum occuparunt.*

Methodici hoc dicunt. Sed Galeni ſententia hæc non eſt, nõ eſt ergo ut hac in opinione Galenicum ſe glorietur eſſe Anonymus, *quum perpetuò cauſam & effectum eſſe idem docet: quod unũ eſt ex ipſius axiomatibus admirãdis. Redolent reliqua, quæ deinceps ſequuntur argumẽta, philoſophiam: quam ipſe à ſeipſo, nón ex* Galeno *uel* Ariſtotele, *didicit. Volumus etiã pulchram illam obiectionem* Ingraßiæ *ſoluere. Si, inquit, morbus eſt affectus permanẽs, ſequitur, ut obſtructio neq; morbus, neq; nõ morbus eſſe poßit. Non eſſe non morbum, partim per ſe conſtat, partim autoritate perſpicuũ eſt* Galeni. *At nón eſſe morbum, probatur hoc argumento, quo liquet, ipſam non eſſe permanẽtem ſine cauſa. Morbus enim non eſt, quod non permanet remota cauſa. Ergo ut initio dictum fuit, neq; morbus erit, neq; non morbus, obſtructio. Nos morbum & permanens quidam reſpondemus eſſe obſtructionem ratione cauſæ antecedentis,*

cedentis, reſpectu cuius ipſos per ſe permanere morbos affirmat Galenus: non autem reſpectu eius cauſæ, qua definitur eſſentia morborũ, quæ ὁμέγον uel συνεκτικὴ appellatur, ut ſuprà millies eſt dictum. Hactenus *& ipſis per ſe ueris rationibus, & argumentis opinioni* Anonymi *oppoſitis, & confutato errore, me ſatiſfeciſſe huic diſputationi arbitror.* Reliquũ *eſt, ut ſtudioſos lectores horter & rogem, ut diligenter cognoſcant controuerſiam: & quid utrinq; dicatur & ſcribatur, ponderent: poſtea, quæ uerior ſit ſententia, iudicent.* Ingenuè *& cãdidè fateor, me nulla nec ambitione, nec pertinacia adductum, contra* Anonymum *ſcripſiſſe: ſed partim defendẽdi ueri ſtudio excitatum, partim laceßitum contumelijs: quibus non ſolùm me, ſed alios etiam afficit, ad ſcribendum me contuliſſe: ne fortaſſe philoſophiam exiſtimet tam agreſtem & infantem, quæ ueritati diſputationis quoq; iſtius non poſſet ſuccurrere.* Ac *meritò hominem illum philoſophi omnes odiſſe debent, qui primùm præclarißimam philoſophiæ ſcientiam contemptißimè traducit: quaſi illi demum ſint præſtãtes medici, qui abſtinuerint à philoſophiæ ſtudio: in quorum numero fuit etiam* Theſſalus. *Deinde quum dicat, philoſophos inanium rerum cogitatione occu-*

pari, nihil potuit ab homine, qui uult uideri doctus, dici aut ſcribi abſurdius. Faxit igitur Deus Opt. Max. *ut inani perſuaſione eruditionis relicta, tales homines, qualis eſt* Anonymus, *magis ad cultum ueræ philoſophiæ, quàm contemptum ſe conferant, ut melius & rectius de grauibus cõtrouerſiis diſputare poſſint: ac non cùm ſemetipſos, tum alios, prauis opinionibus imbuant. Quid autem optabilius tali homini poſſet contingere, quàm ſi* Pallas *ita ipſum alloqueretur, ut* Diomedem *affatur apud* Homerum, *ſic inquiens,*

ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν
ὄφρ' εὐγινώσκοις ἢ μὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

FINIS.

EXCVDEBATVR ANNO
M. D. LVIII.

Abuſus malè obijcitur in bonarum rerum ignominiã. 7
Adoleſcentis æruginem uomentis exemplo redarguit oppugnator cauſæ coniunctæ. 58.59
Antecedens cauſa aliquando in Coniunctam permutatur. 135
Antecedẽs cauſa, et efficiẽter antecedẽs, non ſunt idẽ. 80
Antecedẽs cauſa, qua ratione ſit proxima & immediata. 43.44
Antecedens cauſa, quo reſpectu etiam Galeno coniuncta dicatur. 47
Antecedens cauſa ut definienda. 48.49
Antecedens ut cauſa ſit morborum. 50
Antecedentem cauſam non eſſe per ſe, ſed per accidens. 30.40.79.121
Antecedentes cauſæ non neceſſariæ. 83
Antecedentes cauſæ præſeruationem deſiderant. 172
Antiſthenis dogma. 139
Ariſtotelis argumẽtũ quodam refellitur. 105
Ariſtotelis dictum. 62
Aſperæ arteriæ ſiccitas. 194
Auicennæ defenſio. 145
Auicenna immeritò taxatus. 52
¶ Cauſa actu & facultate. 13
Cauſa antecedens & coniuncta quid differant. 16
Cauſa & efficiens, pro eodem. 12
Cauſa quid, ſecundum Galenum. 24
Cauſa una per ſe et proxima nõ eſt duorũ effectuum. 80
Cauſæ per ſe eſſentiæ rerũ, quæ ſint, declaratur. 121.122
Cauſæ per ſe ſimul ſunt cum eo, cuius ſunt cauſæ. 46
Cauſæ uocabulo, Galenus quomodo utatur. 11.12
Cauſam potius medendi rationem indicare, quàm affectum. 137

Cauſarum genus, quo quid non exiſtens generatur, fatale non eſt. 15

Cauſa coniuncta eſt in omni motu. 26. Galeno pro cauſa principe accipitur. 24.25. in multis eorũ quæ ſunt, reperitur. 48. in quibus morbis eſt. 22.50. hæc non eſt omnium, ſed tantũm nonnullorũ effectuũ. 34. quibus nominibus ab Ariſtotele, Galeno & Cicerone ſit appellata. 16. quid ſit. 78.79. Stoicis quæ ſit. 18.32.33. ut accidens à Galeno dicatur. 25. ut definiatur. 48.49

Cauſæ coniunctæ eſt, ſimul eſſe cum morbo, non antecedentis. 36. eius euerſio multa Galeni dogmata tollit. 69. nuſquam non meminit Galenus. 18

Cauſæ coniunctæ oppugnator abſurdiſſima dicit. 98. 99. ἀπατάθειαν inducit. 66. 69. idem antecedẽti cauſæ tribuit definitionem coniunctæ. 29. cauſam & effectum pro eodem habet. 75. cum Montiſiano conſentit. 156. ex cauſa, morbum facit. 84. Methodicus fit. 167.179. idem nolens uolens cauſa eſſe fatetur. 117.118. ordines prædicamentorum perturbat, & principia negat. 62. putat id ſymptoma eſſe, quod in libris Symptomatum extet. 76.77. ſeipſum refellit. 97. ſolœciſmum committit. 50. Stoicos, non Galenum defendit. 82. turpiter principium petit. 29. ubi accidens dicit Galenus, ibi ſymptoma dicere audet. 73. ignorantia oppugnatoris huius, & inconſtantia. 96. 158. analyticæ doctrinæ ignarus eſt. 48. eiuſdẽ paralogiſmi. 41.95. 143. 144.145. & fermè ſub finem libri.

Cauſæ cõiunctæ plenior explica-

plicatio. 167
Cauſæ coniunctæ uitioſa definitio reprehenditur. 29
Cauſam antecedentem & efficienter antecedentē, idem non eſſe. 16.17
Cauſam coniunctam Cicero appellat efficienter antecedentem. 144
Cauſam coniunctam eſſe, affirmat Galenus. 164
Cauſam coniunctam eſſe in permanentibus, locus Galeni. 41.42
Cauſam coniunctam, Galenus antecedentē uocat, ὁμωνύμως. 50.51
Cauſam coniunctam, Galenus uocat πάθος γινόμενον. 163
Cauſam coniunctam morborum nullam, quomodo poſſit concludi. 47
Celſi dictū de Methodicis. 168
Cordis ſubſtantiam quæ conſtituant. 146
Corpus per ſe non eſt alterabile præter morbum. 66
Curatio ad morbos, præſeruatio ad cauſas dirigēda. 68
Curatio & præſeruatio. 176
Curtij abſurda interpretatio. 57
¶ Definitio nominis & notionis eadem ſpecies definitionis. 74
Democritus, rerum quatenus ſunt, nullam eſſe cauſam opinatur. 37
Demonſtrationes ueræ, principijs nituntur. 38
Διάθεσις Ariſtotelis quid. 89.
dicitur & locorum & partium ratione. 90. uox eſt æquiuoca. 93
Διαθέσεως aliæ ſignificationes explicantur. 91
Differentiæ, generis & ſpeciei naturā ſequūtur. 88.94
Dioſcoridis locus cōtra Methodicos, pro cauſa coniuncta. 187
Dogmatici Methodici. 165
Dyſenteria quid ſit. 92
¶ Effectus etiam abſolutos, dici πάθη à Græcis. 191
ἐντινῶν

ἑκτικὸν, μόνιμον καὶ σχετικὸν. 111. 115 116
Elephantiaſis, leuce, & Gallicus affectus ſunt incurabiles. 170
Ephemera, putrida & hectica febres. 126
ἰξῦς quæ dicantur. 123
¶ Fallacia accidentis. 51
Falſa, non ueris modò repugnant, ſed etiã diſsident inter ſe. 54. 120
Falſitatis neq; oratio, neque excuſatio ſimplex. 110
Falſum ex ueris non ſequitur. 166
Febris aduerſario chimera eſt. 149
Febris cuiuſmodi intemperies ſit. 126
Febris ephimeræ & putridæ ſubiecta. 152
Febris nõ eſt pathema. 160
Febris particularis an nulla ſit. 148
Febris putrida, quid differat ab alijs febribus. 126
Febris putridæ cura. 128. 133
Febris putridæ duplex cauſa. 129
Febris ſubiectum. 146. 151
Febriũ differentiæ tres. 130
Fernelius putat etiam morbum eſſe in Relatione. 106
Fiens quid ſignificet. 162
Figura ut ſit morbus. 89
Figuræ & habitus. 66
Fuligo putrida, febris eſſe non poteſt, ſed eſt cauſa cõiuncta. 153
¶ Galenus quid de antecedente & cauſa coniuncta ſentit. 48. 51. 80. 183
Galenus quas cauſas per accidens appellare ſoleat. 79
Galenus quomodo duas tantùm morbificas cauſas ſumat. 23
Galenus cur abſtinuerit à nomine cauſæ coniunctæ. 51
Galenus cauſam coniunctam nuſquam negauit. 183
Galenus cauſam coniunctam uocat immediatam nõ antecedentem. 80
Galenus reprehendit Eraſi-

ſtra-

ſtratios, non quòd coniunctam cauſam in morbis ſtatuerent, ſed eam ſolā conſiderarent, & alias negligerent. 54
Galeni locus è li.3.Therap. meth. deprauatus ab oppugnatore cauſæ coniunctæ, explicatur. 72
Galeni ſententiam de cauſa cōiuncta, aliqui abſurdè ſunt interpretati. 56.57
Galeno ut nulla ſit morborū coniuncta cauſa. 184
Gangræna. 170
Genus ſequitur ſpeciei naturam. 94
Gypſeus humor. 192
¶ Habitus & figuræ quid ſint. 66
Hippocrates dogmaticus 169
Hippocratis dictum de cauſis morborum. 169
Homonymia cauſæ antecedentis, apud Galenū. 25.26
Homonymiæ diſtinguēd. 45
Humanæ naturæ corruptæ, deformitas. 6.7
Humores corrupti geminā conditionem habent. 175
¶ Immediatorum duplex ratio. 45
Immediatum & per ſe differunt. 123
Infinitum in quantitate. 49
Ingraßiæ defenſio. 161
¶ Lapis in ueſica nō eſt morbus. 141
Lapidem eſſe coniunctā cauſam, aduerſarius ipſe affirmat. 97
Logicæ philoſophiæ laus. 7 8
Logicæ ſeu dialecticæ ignoratio prodigioſas opiniones parit. 96
Luxatio quid ſit. 193
¶ Magnitudo ſymptoma tumoris ineptè ponitur. 192
Magnitudo ut ſit morbus. 89
Medicus nullus ſine philoſophia eruditus. 116
Metalepſis callida. 70
Methodici nec antecedētem nec coniunctam morbi cauſam dicunt. 114
Metho-

Methodicorum cõmunicantes. 168
Methodicorum in curandis morbis opino. 167.168
Methodicorũ opinio de cauſam coniuncta. 177
Methodicorũ ſententia affectũ nõ cauſam iudicare 136
Μόνιμον & ἐνίμονον. 112
Montiſiani defenſio. 125
Morbus cum ſuis cauſis & ſymptomatibus, eiuſdẽ prædicamenti. 92
Mrbus & Morboſitas. 103
Morbus & ſanitas non alterant. 65
Morbis & ſymptoma, relata eſſe non poſſunt. 106
Morbus fiens habet antecedentem cauſam, ſed finitus non ſemper coniunctã. 20
Morbus fiens malè negatur ſpecies morbi. 161.175
Morbus in prædicamento qualitatis eſſe oſtenditur. 65.67.88 94
Morbis ut in prædicamento relationis ſit collocandus. 93 86
Morbus uerè non eſt ſymptoma. 193
Morbi dupliciter fiunt. 19
Morbi fientis ratio triplex. 60.109 110.180
Morbi homonymia. 104
Morbi conſideratio. 110
Morbi, non ſunt morbi ſecundum ea, quæ concedit aduerſarius. 141
Morbi ſchetici. 110
Motus omnes à quadam cauſa proficiſcitur. 38
¶ Naſi figura ſima, obſtructionis cauſa cõiuncta. 144
Nomina infinita. 189
Numerus ut ſit morbus. 89
¶ Obſcuritatis excuſatio. 101
Obſtructio cuiuſmodi morbus. 70
Obſtructio & humor obſtruens, ut ſint & non ſint, idem. 42.64
Obſtructio & phlegmone non ſunt idem. 197
Obſtructio & tumor non ſunt idem. 196
Obſtructio

Obſtructio impedit tranſitum primò, non craſſus humor. 69
Obſtructio non eſt corpus, ſed πάθος. 64
Obſtructio quid. 70.74
Obſtructionem & humorẽ facere, idem eſt ἀναπάθειαν inducere. 42
ὁμόγονα αἴτια quæ. 17
Oreſtis parricidium exemplum antecedentiũ cauſarum. 55
¶Pater & Paternitas. 102
Pathema à morbo quid diſtet. 113
Paroxyſmus putridæ febris non eſt pathema. 52.53
Paulum apoſtolum malè allegare contra philoſophiam. 8
Per ſe quid dicatur 32
Petri Rami dialectica. 81
Philoſophiæ lumen. 74
Philoſophia quid. 5
Philoſophiæ contemptores, infelices ſunt diſputatores. 85. 86
Philoſophiæ laus. 4.5.&c.
Phlegmone eſt πάθος. 39
Phlegmones cauſa non profluens, ſed impletus ſanguis proxima eſt. 39
Plato cur res naturales omnes fientes appellet. 163
Plato Dei trinitatem, Ariſtoteles unitatẽ demonſtrat. 6
Plato ſcitè corruptæ humanæ naturæ deformitatem expreßit. 6
Plethori antecedens & coniuncta fientium morborũ cauſa. 107.108
Plethora ut ſit cauſa coniuncta morbi. 116.117
πλῆθος. 180
Præſeruatio & curatio quomodo iungantur. 176
Protagoræ dogma. 139
Pupillæ dilatatio 76.77
Putredo febris putridæ 140
¶Rabidi canis uirus. 177
Relata Ariſtotelis. 95
Relata ut definiantur. 105
Relatio & Relatum miſerè torquentur. 101.102

Reſpon-

Reſpõdetur ad methodicorũ argumenta. 181
¶ Salubritas aëris quid. 90
Sanguis in phlegmone eſt cauſa coniuncta. 61
Sanguis in phlegmone cauſa eſt, & pars, nõ tota phlegmone. 39
Schetici nõ affectus tantùm ſunt, ſed etiã cauſæ. 116
Σχετικὸν πάθος quæ dicatur. 114.115
Scientia ut ſit, & non Relatum. 94
Simul quæ dicantur. 124
Sophiſta eſt fera, ut Plato dixit, quæ difficulter capitur. 71
Spaſmus & ſimiles morbi quando habeant cauſam cauſam coniunctam. 165
Spaſmus & tremor interdum ſymptomata. 77
Stoici omnes euentus neceſſarijs cauſis generari opinantur. 15.16
Stoicorum medicorum cauſa coniuncta quæ. 46
Stoicorum opinio de cauſa coniuncta unde ſit orta. 35
Syllogiſmus ex oppoſitis, ab aduerſario conceßis. 141
Syllogiſmus uitioſus. 197
Syllogiſmi cuiuſdam acuta ſolutio. 195.196
Συνεκτικὸν καὶ προηκτικὸς, ſecundum Galenum idem. 81
¶ Theologia philoſophiam pediſſequam nõ recuſat. 5
Tumores euaneſcentes. 56
Tumores humoribus ablatis tolli, teſtimõio Galeni. 162
¶ Valleriolæ defenſio, in cauſa febris putrida, idem ſentientis quod Auicenna. 52
Valleriolæ defenſio dicentis ſanguinem in phlegmone cauſam. 60
Valleriolæ alia defenſio. 75
Veriſimilitudo opitulatur ſophiſticis diſputatorib. 54
Veritati ſuccurrẽdum. 3.84
Veritatem nihil tam obſcurat, quàm fucus argumentorum. 38
¶ Φθοροποιόν. 188

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

7.
BIBLIOTECA